





IN EPISTOLAS
M. TVLLII CICERONIS
AD M. IVNIUM BRVTVM,
ET AD Q. CICERONEM
FRATREM,

Pauli Manutii commentarius.



VENETIIS, M. D. LXII.

Cum priuilegio Pontificis, & Senatus
Veneti, in annos XX.



ALFONSO CARAFÆ,
PRAESTANTISS. IUVENI,
ANTONII, MARCHIONIS
MONTISBELLI, FILIO,

Paulus Manutius, Aldi filius,
S. D.

S I S V O quæque res merito penderetur, Alfonse Carafa; hominum esset in uirtute uigilantium præclara condicio; contraque, quos auersa a ratione uoluntas ad malas artes & flagitiosa consilia traducit, cū iis pessime semper ageretur; eorumq. docti exemplo, sapientius deinde alii non modo suis, uerum etiam publicis rationibus consulere. itidem enim, ut e corruptis seminibus uitiosæ fruges, sic a malis exemplis improba studia, a laudabilibus optima nascuntur. uerū hoc totum secus est. quippe non modo ad reprehendendum, quæ reprehendi iure possunt, procliuiiores, quàm ad laudandum, quæ laude digna sunt, omnes fere sumus, nec satis æquali lance turpe & honestum examinamus; quæ debemus pariter, alterum odisse, alterum diligere: sed etiam sæpe facimus, ut eas res, easq. actiones, quarum causas ignoramus, quæq. re

Et ne ansecus fiant, diiudicare non possumus, accusemus tamen, acerrimamque vituperatione, quæ interdum efferri laudibus oporteret, ea deprimamus. Ac ne me putes, Alfonse clarissime, huius initium sermonis temere detulisse: ego nunc, si nescis, meam, meam dico? immo uero communem utriusque nostram causam ago, aut enim uterque agimus egregie; aut uterque similiter peccamus. Audis ne tu uoces in Latinæ linguæ nomen irruptentes, hominum obtrectantium, qui rei pulcherrimæ scientiam reprehendant; qui non derideant, ludosque faciant, atque etiam, si tuis placet, odio dignos existiment, quod operæ tantum ac temporis in hoc tam nobili studio collocemus? tu uertasse non audis, totus in litteras abditus, a maiorum a consuetudine seiunctus: aut, si audis, negligis opinor, magnis non tam fortunæ, in qua tamen ipsa multum inest, quam rerum omnium laudabiliū præfidiis ad omnia munitus. me uero, humili hominem loco, hac una tibi Romani sermonis cupiditate parem, ceteris rebus omnibus inferiorem, ista sane, quæ feriunt aures meas, uehementer commouent: non quod ea, quibus utuntur, argumenta firma sint; quæ ostendam esse inania: sed quod, ut eam quisque uirginem, cuius amore flagret, intactam

tactam ab iniuria, puram ab omni labe uel-
lit, sic ego, quasi lutosus maculis aspersam,
ac fœdatam eloquentiam, quam semper
dilexerim, cum aspicio, sensibus intimis
afficior, sic, ut ferre non possim. Obiiciūt
illud primum: quatenus aliquid cognosci
possit, eatenus in eo laborandum: Latinā
linguam obsoleuisse iam, & extinctam pæ-
ne totam esse: quam enim hodie nationē,
ut omnes animo perlustrentur, Latine lo-
qui? quod uero ex ea supersit in libris,
minimum id esse, tanquam aliquod inane
simulacrum corporis exanimis: quocirca
neque sciri perfecte, cum exiguam partem
libri contineant, neque pronuntiari decen-
ter, cum sermonis usus euanuerit, a nobis
posse. Secundo loco statuunt: ut absolute
percipi, quod negant, Latina lingua pos-
sit; mirari se tamen etiam atque etiam, cur
industriam in ea perdiscenda tam diutur-
nam ponamus. uicio quidem id fieri uolun-
tatis, & iudicii: dignitatem in re tantam
non esse, ut hæere per tot annos in hoc
studio debeamus. Concludunt postremo:
ut de perfecta cognitione, de dignitate, ac
præstantia concedatur; tamen esse, cum,
ea pulsa, successerit alia, minime necessa-
riam. Hæc isti: quæ specie aliquid uiden-
tur; ego, re nihil esse, si quando me præsen-

te disputantur, ostendo. Conuenit inter nos, esse aliquid in omnibus facultatibus atque artibus extremū; quò nostra studia cū peruenerint, quiescēdum. sed hoc extremum quibus terminis metimur, rei ne natura, an uulgi opinione? si opinione uulgi: licet propemodum otiose uiuere: mediocria, quæ putantur excellere, quæramus: id satis est: illa summa, ubi summum decus habitat, quæ uulgus ignorat, òmittamus. si extremum illud esse uolumus, quò peruentum cum est, progredi longius non licet: moderata studia non dantur. perfectam enim sciētia laudem adipisci, maximi operis est: itaque hoc extremum, quod, opinor, Natura nouit una, sapiēs nemo unquam se putauit esse consecutum. extant, litterarum clarissimis testata monumētis, exempla summorum philosophorum: qui cum ætatem in abditarum rerum perscrutanda notitia contriuissent, multaq. partim legendo, partim cogitando præclara & eximia reperissent; latere tamen adhuc, magnis inuolutã difficultatibus, ueritatē, & aliquid sibi, atque adeo multum esse quærendum existimabant. Eadem nunc, aut certe similis admodum nostra ratio est. Quærimus id, quod in Latina lingua perfectum putamus. non assequemur. esto: uerun-

ueruntamen , quo plus , ut assequamur ,
contenderimus . eo scilicet propius , si
quid studio proficitur , accedemus . At
laboris & industriæ terminus tamen sta-
tuendus aliquis est . concedo : sed hoc qui-
dem , si diligenter attendatur , nihil aliud
est , quàm perfectum ipsum definire . hoc
enim ad unum nostri labores intenduntur :
hoc unum nostra spectat industria . per-
fectum autem ipsum ego mihi certe ab ho-
minibus imperitis definiri nolo . definiant
ii , quibus utor magistris , Cicero , Cæsar ,
Terentius , Plautus ; quorum ex libris ,
quæ Latinæ linguæ sit elegantia , quæ uber-
tas , quæ uis , facile possum intelligere . quæ
si , non dico quanta sunt , (immensa enim
esse uideo) sed si ea mihi magna ex parte
comparassem ; modum fortasse facerem
studio meo : sed , ut inter hos , qui nunc ho-
mines uiuunt , aliquid esse uideamur , nihil
tamen , si uere de nobis ipsis iudicare uolu-
mus , præ illis uiris , quorum extant satis
multa scripta diuinitus , nihil inquam pla-
ne sumus . quare , quod ad scribendum arti-
net , habemus abunde , quod imitemur . De
pronuntiatione uero minimum laboro .
quid enim ? an putamus in iis ipsis , qui
tum Romæ uiuebant , eandem pronuntian-
di rationem fuisse ? non fuit . confluabant

in urbem, illecti spe summorum magistratum, quod habuit illis temporibus præmium eloquentia oratores, ex uniuersa Italia. causas agebant Romani homines pariter & peregrini, sono uocis dissimiles, pronuntiatione diuersi: suam tamen quisque, pro eo, quantum quisque ualebat ingenio, laudem ferebat. si Curibus educatum, aut Arpini, orantem in foro audires; Sabinum statim, aut Arpinatem agnosceres. neque tamen a forense opera, & a iudiciis propterea quisquam est exclusus, quia minus Romane, hoc est, quia minus apte, minus ue decenter, pronuntiaret. nunc ipsum, in hac, qua Itali omnes utimur, lingua est ne omnium in distantis & longinquis urbibus simillima pronuntiatione? mehercule ne in iisdem quidem. Venetiis enim (domestico utar exemplo) aliter in urbe media, aliter in extrema loquuntur. quapropter nimis iniusto priuilegio damnabitur Latina lingua, si, quod in ceteris linguis usu uidemus euenire, ut non modo diuersis, uerum etiam iisdem & temporibus, & locis non similiter omnes pronuntient, id ei præcipuum opponatur: cuius etiam magnis ac præstatis meritis aliquid largiri, tum humanitatis, tum æquitatis esset. Secundum erat de dignitate. in quo, non tam

equi-

equidem quid ipse respōdeam, quàm quid istos in hanc mentem impulerit, quæro. Ita ne? dignitatem Latinæ litteræ non habent? humiles, & obscuræ sunt litteræ illæ, quæ populi Romani nomen extollunt, atque illustrant? quæ summorum imperatorum fortiter & præclare gesta per omnes gentes cum laude disseminant? quæ maiores opes, quàm ulla unquam lingua, maiora suorum meritorum præmia in orbis terrarum domina ciuitate sunt adeptæ? Sed ineptus sim, si me patronū Latinæ linguæ profitear: quæ tantum possidet eloquentiæ, ut, ipsa suam causam si agat, facile se ab aduersariorum calumniâ uindicare possit. Nunc, quod isti postremo loco argumētum, quasi postrema in acie subsidium firmissimum, collocant, uideamus in eo quantum roboris ac neruorum sit. plus enim est fortasse, quàm ut contemnere, minus certe, quàm ut pertimescere debeamus. Nusquam, inquit, uiget usus Latini sermonis: aliter nunc omnes loquimur. id uerum est, si quid igitur in Latinam linguã studii confertur, opera non bene ponitur. hoc falsum. duplex autem est, qua utor, ratio probandi. Primum illud suscipio, ac defendo: non, quæcunque necessaria non sint, propterea spernenda esse omnia; atque explodenda; dein-

dein-

deinde, si spectetur utilitas, ita Latinam
utilem esse linguam, ut etiam necessaria
uideatur. Quæ sunt, quæ uere & proprie
necessaria dicimus? nimirum ea, quibus
carere nullo modo possumus. huiusmodi
sunt primum elementa, deinde, quibus
famem, frigoraq. arcemus, uictus, uesti-
menta, ædes, aut ea, quibus hæc parantur;
præterea, in publicis rebus leges, & ma-
gistratus, in priuatis seueritas, & uigilan-
tia. ex hoc numero Latinam certe non esse
linguam, facile concedo. neque enim is
ego sum, qui libenter cum ueritate pugnẽ.
Sed præter hæc, quibus hominum uita su-
stinetur, ac regitur, quàm multa sunt, mi-
nime necessaria, quæ tamen habemus in
deliciis, quæ amamus, quæ etiam honore
prosequimur? gemmas, & uasa pretiose
cælata, columnas marmoreas, laqueata
tectâ, sericas uestes, textiles picturas, ar-
tem in uocibus, & fidibus, odores in un-
guentis, condimenta in cibis, hæc certe,
& huius generis sexcenta, non ut neces-
sitati pareret, sed ut sensibus satisfaceret,
inuenit industria. quæ quin habeant iocun-
ditatis & ornamenti plurimum, nemo neg-
gat. quòd si, quæ sensus iuuant, & labo-
riose quæsitâ sunt, & retinentur accurate:
quanto nobis ea, quæ animum oblectant,
potiora

potiora debent esse? pascitur animus magnitudine rerum: quid Liuii sublimius historia, quæ populi R. bellicam uirtutem commemorat? grauitate sententiarum: quis Cicerone prudentius, quis eruditius disputat? elegancia uerborum, & copia: quis eodem ornatior, quis uberior? uarietate scriptorum: quod genus Romanæ literæ desiderant? poetas habent egregios, historicos, oratores, Philosophos etiam excellenti doctrina claros. quæ si uera sunt; (sint, necne, res ipsa declarat: ambigere non licet) & si uoluptatem studiosis Latina lingua parit incredibilem; possum istis tribuere, quod uolunt, necessariam uulgo non esse, dum ipsi contra, quod ratio postulat, atque exigit, hoc mihi tribuant, amandam esse uehementer, atque expetendam. Sed hæc ad eam, qua legendo fruimur, uoluptatem pars attinet: nunc, quod eram alterum pollicitus, de utilitate uideamus. Omnes linguæ aliarum admixtione linguarum, si moderata sit, augentur; si nimia, corrumpuntur, atque intereunt. quod enim recipitur, id esse debet eiusmodi, ut recipientis naturam suaui, suaq. magnitudine non exsuperet. itaque sermo hic noster Italicus multas Gallici sermonis, multas Hispanici, quasdam etiam aliarum

aliarum nationum habet partes. causſam ſi
quærimus: non alia, quàm earum gentium
interuentus, & conſuetudo, fuit. quòd ſi
Gallorum, aut Hiſpanorum immenſa mul-
tudo, (exempli cauſſa dictum a me ſit: o-
men quidem inane eſſe uolo) ſed ſi earum
nationum maior aliqua uis in Italiam irru-
perit, ac permanſerit: maior ſimul induce-
tur Gallici, aut Hiſpanici ſermonis uſus; &
fortaſſe aduenticiu illud uſque eò uale-
bit, ut hoc domeſticum uincat, ſuisq̄. ſedi-
bus expellat. quod olim Romanæ linguæ
contigit: quam, multarum ætatum ſpatio,
multis maximarum rerum adiuuentis au-
ctam, atque confirmatam, diuerſis tamen
populis Italiam occupantibus diuerſarum
linguarum impetus oppreſſit. Cum igitur
lingua linguã amplificet; noſtraq̄. hæc Ita-
lica, non multis abhinc ſæculis orta, nec
admodum liberaliter præmiorum nutrimẽ
tis educata, non ita dum adoleuerit, ut ſuis
contenta uiribus eſſe poſſit: ſtatuo ſic, at-
que concludo; acceſſionem ei fieri maio-
rem non poſſe, quàm ſi cum Latina coniun-
gatur: non modo, quia nulla plenior; aut
ornatior; uerum etiam, quia nulla ſimilior:
ex quo ſequitur, ut ad cõeundam cum ea ſo-
cietatem nulla commodior. Eſt igitur litte-
rarum Romanarum cum per ſe laudabilis
admo-

admodum, & iocunda tractatio, tum uero, si quidem hunc ipsum, quo nunc utimur, auctum exornatumq. sermonem cupimus, magnopere necessaria. Atque hæc tu quoque uides Alfonso ingeniosissime, tuumq. iudicium cum mea sententia coniungis. itaque, cū a prima pueritia ad eloquentiæ Romanæ cupiditatem incūbere cœpisses; postea te non ambitio, quæ sæpe præclare iacta fundamenta uirtutis euertit, non commodum, non illa, bonis artibus inimica, uoluptas ab hoc studio deduxit. ac ne nunc quidem langues; cum tamen omnia uideas ardere bello, armorumq. strepitu aures tuæ quotidie personent; sed contines te in tuis perennibus studiis; animumq. tum aliis magno principe dignis uirtutibus, tum uero maxime excolis eloquentia, doctorem in ea, ducemq. nactus, diuino quodam munere, uirum excellentem, Ioannem Paulum Flauium; qui te nouo quodam, planeque admirabili genere disciplinæ, abductum a uulgi erroribus, per directam semitam ad eximium illud ueteris Romanæ linguæ decus facile perducet. quanquam me, non nunquam de statu Latinæ linguæ cogitantem, miseratio quædam acerbo cum dolore tangit: quòd ita futurum animo cernam, ut hæc, per tot iam sæcula, a tot ingenis,

geniis , tam diligenter culta , Latine scribendi ratio , quæ parentem nostram Italiã nobilitauit , quæ tot in nos merita contulit , ætate demum nostra , nisi remedium ali quod diuinitus extiterit , suam honestatem omnem neglecta prorsus in perpetuum amittat . quòd si rebus inclinatis , iam iamq. cadentibus opem ferre quisquam potest ; unus est auus tuus , Paulus IIII , Pontifex Max . cuius esse partes uidentur , ut ereptum nobis temporum dicam , an hominum iniuria opinionem artium usum restituat . quem tu quoque finem spectas , ut audio . & , quia recte sentientibus nunquam præmia defuerunt ; ob eam causam futurũ homines augurantur , ut eius dignitatis , quæ summæ proxima est , insignia breui omnino consequaris . quod cum euenerit ; lætabor primum tua , deinde communium studiorum causa . qui enim tuos impetus ad laudem nunc uidemus , tuosq. plane sensus intelligimus ; an , ubi ad istam uoluntatem auctoritas atque opes accesserint , fore dubitemus , ut a te ipso dissentias . Præstabis Alfonso tu quidem alia præclara , te ipso scilicet digna , tuãq. familia , in qua florere uides heroes permultos , gloria circumfluentes , uirtutis ï studio defexos : maxime uero gratiã referes optime de te meritæ Latine linguæ ,

linguæ, eamq̄. paullatim Italia edentem, & ad tranſalpinas nationes, magno noſtro de decore, migrantem, in ſuam ſedem domiciliumq̄. reuocabis. cuius gloriæ cauſſa, ſi monendus es, monitorem ad te; ſi rogandus, ſupplicem uolui mittere commentarium hunc meū in epiſtolas ad M. Brutum, & ad Q. fratrem: qui cum tibi ſtudia commendat eloquentiæ, in quibus ego per tot annos, utinam cum aliqua laude, magno certe cum labore uerſor, commendat ſimul, paullo tamen uerecundius, ſe ipſum, & uigilias meas: quarum fructus mihi erit uberrimus tum beneuolentia, tum iudicium tuum. quæſiui omnino, idq̄. mihi primum fuit, poſteritatis utilitatem; quod eſt propriū familiæ noſtræ: ſed in te ipſum ſimul, cum huic operam commentario darem, ſpectaui. tu ſi probas ea, quæ litteris mandamus; ſi faues indiſtriæ, optimeq̄. te eſſe animatum erga mea ſtudia ſignificas: ego me, quæ ſumma ſunt, omnia confeutum putabo.





1

A R G V M E N T V M
E P I S T O L A R V M
M. TVLLII CICERONIS

ad M. Iunium Brutum, Brutiq̄.
ad Ciceronem .

H VIVS libri epistolæ quia non ita sunt obscuræ, ut interpretationis lumen desiderent, non hærebimus admodum in sententiis: non nulla, ad historiam, aut ad eruditionem quæ pertineant; quæ, ut extra rem propositam fortasse uideantur, utilitatem tamen aliquam habebunt; persequi & indagare consilium est. Post interitum C. Cæsaris, M. Brutus, qui coniurationis in illum particeps, atque etiam auctor, princepsque fuerat, Cretam provinciam a senatu accepit administrandam; nec ita multo post, plebis concitatæ furorẽ extimescens, urbe celsit; redituq̄; desperato, cum in Creta non multum neque sibi, neque reip. præsidii putaret esse, intendit animum ad Macedoniam: quam ei Q. Hortensius prætor, Hortensii oratoris filius, facile tradidit. nam Cæsar de Parthica expeditione cogitans, & magistratus in triennium creauerat, & provincias diuiserat: ex quibus Ma

B cedo-

cedoniam regi a M. Bruto, absoluta prætu-
ra, uoluerat. ad eum igitur Macedoniae
præfectum Cicero scribit. et sunt etiam ad
Ciceronem aliquot, unaq. sane præclara
ad T. Pomponium Atticum, Bruti episto-
la. Ac sciendum est, scriptos esse a Cicero
ne, præter eos, qui nunc extant, multos
præterea epistolarum libros, ad C. Cæsa-
rem dictatorem, ad C. Cæsa rem iuniorem,
ad Pansam, ad Hirtium, ad hunc ipsum Bru-
tum. itaque contenti non fuimus inscri-
ptione uulgata; neque, librum, tantum,
sed, librum primum epistolarum ad M. Bru-
tum, inscripsimus. sic enim citari a Nonio
animaduertimus; qui librum quoque octa-
uum epistolarum ad eundem nominat.



2

P A V L I M A N V T I I
commentarius in epistolas
Ciceronis

ad M. Brutum, Macedoniae proconsulem.

E P I S T O L A P R I M A .

M. Antonio,

P. Cornelio Dolabella,

C O S.

C I C E R O Bruto] *Potest ambigi, patricius, an plebeius fuerit hic Brutus. patricium fuisse, Posidonius philosophus, eumq; secutus Plutarchus contendit: Brutum enim eum, qui reges eiecit, tres filios habuisse, duos, quos participes coniurationis in rep. ultimo supplicio, patre cosule spectante, affectos, historiae narrant; tertium, unde Iunia gens propagata est; & a quo M. hic Brutus originem duxit. Contra, plebeium ut fuisse credamus, Dionysii Halycarnassensei facit auctoritas. nam, etsi Plutarchum, pro eo, ac de eo, plurimi facio: tamen Halycarnasensem, qui nititur argumentis, libentius, hac quidem in re, auctorem sequor. Plutarchi est simplex & nuda narratio. nam illud nescio quid, quod affert ex Posidonio; ipsius Posidonij aetate fuisse Romae praestantes ex ea gente viros, quorum forma ad similitudinem imaginis accederet illius Bruti, qui civitatem dominatu regio liberavit, ita plane nihil est, ut re-*

*fellendum non existimem . Noster autem Cicero cū
 in Philippicis orationibus, & in libro de claris ora-
 toribus dixit idem, quod postea Posidonius, & Plus-
 tarchus; potuit id Bruto gratificari; quem cum uni-
 ce diligebat, tum ad studium libertatis recuperan-
 dæ facilius impelli posse existimabat, si ab illo Bru-
 to, qui primus Romæ iugum seruitutis uirtute depu-
 lerat, progenitum ostenderet. Dionysii ratio hæc
 est; eaque, ut mihi uidetur, admodum firma. Si L.
 ille Brutus, qui libertatem Romæ constituit, uirilem
 stirpem reliquisset; eius posteri patricij fuissent.
 quod si patricij; consulatum sine dubio multi gessis-
 sent. at per annos CC, quod fasti declarant, consul
 Romæ Iunius nemo fuit. nam, quod Scæuas, &
 Bubulcos, qui Iunij fuerunt, consules uideas, CC,
 ut dixi, post reges exactos annis; hoc potius doce-
 mur argumento, plebeios fuisse, quam patricios:
 cum in consulatu collegas habuerint de gente patricia;
 eo porro tempore consules fuerint, cum eum
 magistratum duobus patricijs mandari lex Licinia
 uetaret. Præterea in eiusdem Dionysii historia tri-
 bunum pl. uideo Brutum quendam, plebeie partis
 defensorem acerrimum; item alterum in oratione
 pro Quinctio; quos, ut opinor, de gente Iunia fuisse,
 nemo negabit; & plebeios fuisse, ideo putan-
 dum est, quod, tribunatum pl. plebeijs tantum homi-
 nibus deferri, leges iuberent. Accedit illud, quod
 nec ædiles pl. de patricia gente creabantur. at Fe-
 stus M. Iunium Brutum ædilem pl. nominat. Linius*

sane duos tantum nominat Bruti filios : in quos, con-
iurationis crimine conuictos, animaduersionem est.
sed uerbum adit nullum, unde, nullum præterea
Bruti filium fuisse, possit intelligi. Apud Dionem
eadem fere, quæ apud Liuium, leguntur : ut non fa-
cile, utrum senserit, dijudicare liceat. itaque dubi-
tatio ex Dionysio, & Plutarcho, Posidonioq. to-
ta nascitur. quanquam ego quidem, cum argumen-
ta illa tria, quæ posui, cum animo meo considero,
unum, de nullo Iunio per C C annos, post reges eie-
ctos, consule; alterum, de Brutis, quos Dionysius,
& Cicero nominant, tribunus pl. tertium de ædile
pl. apud Festum : non admodum esse uideo, cur du-
bitem. et ab eo Bruto, quem contra patres multa
pro plebe gessisse Dionysius memorat, potuit M.
Brutus, Seruiliæ filius, ceteriq. Bruti eius ætatis
ortum trahere : is porro ab aliquo L. Bruti patricij
liberto. nam liberti ita familiæ nomen assumebant,
ut patricij, ab homine patricio manumissi, tamen
esse non possent, Clodius] cum sit hic Clodius tri-
bunus pl. designatus; quo honore patriciam gentem
leges excludebant; ex ijs Clodijs, qui Pulchri, aut
ex ijs, qui Neronæ cognominabantur, qui utriusque
patricij fuerunt, esse non potuit. fuit igitur ex Clo-
dij Marcellis. aut, si Pulchrum, uel Neronem ue-
lis esse, nec tamen patricium; dic, a Pulchrorum,
aut Neronum liberto genus duxisse: cum, et si liber-
tos a gente patricia leges remouerent, eorum tamen
posteris aditum ad magistratus darent. Tribunus

Commentarius in lib. 1.

pl.] Non videtur pratermittendum, quod Plutarchus in libro τῶν περιηγημάτων scriptum reliquit, tribunatum pl. magistratum non esse; cum neque purpuram habeat; neque lictoribus utatur; neque sella curuli sedens ius dicat; neque potestatem, creatae dictatore, deponat, more omnium magistratum. Cicero tamen magistratum appellat in oratione pro P. Quinctio. Et, quod ait Plutarchus de purpura, id refellit idem Cicero pro Cluentio: qui, quo loco de L. Quinctij tribuni pl. intolerabili superbia verba facit, Vultum, inquit, atque amictum, atque illam usque ad talos demissam purpuram recordermini. Designatus] designabantur Tribuni pl. comitijs tributis: quod institutum est anno ab urbe condita CCLXXXIII, consulibus T. Quinctio Capitolino, Ap. Claudio Sabino: cum ad id tempus comitijs curiatis designati essent. designabantur autem ante consules, ut ex prima epistola ad Atticum satis dilucide patet: & ante eosdem etiam magistratum inibant, nempe IIII id. Dec. quod ex Dionysio, Livioq. planum sit. nam quod in Pediani libris impressum est, tribunos pl. nonis Dec. magistratum inire solitos; id mendosum esse puto. nam, ut omittam Livij testimonium, in quo momenti multum statuo esse; Dionysius cum de quarto id. Dec. primo tribunatus pl. die mentionem facit, adiungit illud, μετὰ τὴν ἡμέραν, cum dicat, suis quoque temporibus idem servari. eoq. magis adducor, ut suspicer de mendo; quod, quem locum Ciceronis, qui est in

libro secundo in Verrem, Peditanus ibi exponit; in eo Ciceronem de alio magistratu potius, quàm de tribunatu pl. locutum esse, facile perspiciet, si quis animum paullo accuratius aduerterit. nam si de tribunatu plebis intellexisset, nunquam Sulpicium a Manlio, & Cornificio, quos proximis superioribus uerbis tribunos pl. nominauerat, separasset. nec uero de Sulpicio ullo nisi, patricio, meminisse legisset. etiam illud addo. nonis Dec. quo die actum est in senatu de coniuratis, nõ fuisse M. Catonem tribunum pl. des. patet ex oratione pro Sextio. Hoc satis esse ad hunc locum uidetur: reliqua persequemur in libro de magistratibus. Valde me amat.] sic in epistola ad Dolabellam: Tantum accessit ad amorem, ut mihi nunc denique amare uidear, antea dilexisset. Et ad Appium: Nihil est, quod beneuolentia, uel amore potius effici non possit. A suis, uel per suos potius] correctione usus est, ut id ab inimicis Clodij non delatum modo, sed fictum etiam & excogitatum significaret. nam, a suis, officium continet deferendi: per suos, fictum ab ipsis, & studiose compositum ostendit. Vel dic subaudiri, scriptum: quod uerbum omiserit Cicero, quia delatum potius, quàm scriptum, ab inimicis Clodij uellet ostendere. ut sententia sit hæc: scriptum a suis inimicis, uel per eos potius coram tecum esse actum. infra, paullo planius, Si quis, inquit, secus ad te de illo scripsit, aut si coram locutus est. Occultas hominum uoluntates,

Commentarius in lib. 1.

multiplicesque naturas] eandem fere sententiam translatis uerbis exornat in epistola ad Quintum fratrem: Multis simulationum inuolucris tegitur, & quasi uelis quibusdam obtenditur uniuscuiusque natura. Et in oratione pro Marcello: Cum in animis hominum tanta latebra sint, tanti recessus. Testimonium] testes enim dumtaxat ea de re, qua de agitur, testimonium dicunt: cetera tacent. item ego, cum indicia multa ad animum Clodij probandum possim colligere, omittam: de ipsa tantum re, cuius causa hanc epistolam scripsi, hoc dicam, Clodium de te amicissime & loqui, & sentire. Auctus Antonii beneficio est.] causa, cur Antonium Clodius uellet saluum. quia tamen beneficium illud a Bruto simul acceperat; utrumque, si fieri posset, saluum uoluisset: quia non poterat, Brutum malebat. A te est:] quia tu simul cum Antonio beneficium illud in Clodium contulisti. quod autem beneficium hoc fuit? forsitan ipse tribunatus: quem, Antonio consule, et Bruto pratore suffragantibus, obtinere facile potuit. Intelligit] qui Antonium de regno, nos de libertate cogitantes uidet. Qualis et prudentissimus,] qualis debet esse is, qui & prudentissimus, & idem optima fortuna sit. bonos enim ciues diligit, malos odit, qui prudens est: qui uero optima fortuna, mutationem non quaerit: sicuti contra, qui fortuna sunt deteriore, uetera odere, noua exoptant, ut ait Sallustius in Catilina.

epist. ad M. Brutum . 5

*Catilina . ergo , cum Clodius Antonium saluis nobis
uelit saluum ; nos tamen manult ; quia distinguit ho-
nestum a turpi , propter summam prudentiam ; &
stabilem remp. cupit , propter optimam fortunam .*

E P I S T O L A I I .

C. Vibio Pansa ,
A. Hirtio .

C O S .

*Q*UANTUM nec ita difficiles hæ sunt
quinque sequentes epistolæ , ut interpre-
tationem admodum desiderent ; & Caro-
lus Sigonius , uir doctissimus , tum ad eas emendan-
das , tum etiam ad explanandas industriæ plurimum
contulit : quædam tamen attingemus , ne frustra in-
terpretis officium suscepisse uideamur . Discrimen]
obsidente M. Antonio D. Brutum Mutinæ
inclusum . qua de re in epistola ad Cassium , lib.
XII. fam. & in omni fere historia . Tristes]
quia , rerum inopia , quibus uita sustentatur , uix
iam uideretur obsidionem ferre posse . Ducibusq.]
duobus consulibus , Pansa , & Hirtio , et
Octauiano : a quibus acie mox uictus est Antonius .
Suspecta] ob languorem . nam & Q. Cicero sic
ad Marcum fratrem de Hirtio , & Pansa scripsit ,
cum adhuc designati essent . Quos ego penitus noui
libidinum , et languoris effeminatissimi animi ple-
nos . qui nisi a gubernaculis recesserint , maximum
ab

Commentarius in lib. 1.

ab uniuerso naufragio periculum est. An post
 decernatur, suscipiatur, agatur.] uitiosa
 compositio. est enim integer uersus hexameter:
 quod ipse uitandum in Oratore suo monuit. idem
 peccauit ep. 5. in eo loco, De te etiam dixi tum, que
 dicenda putauit. qui est ibi quoque integer hexame-
 ter. Is] uir summis perfunctus honoribus. Se-
 natus] qui Ciceronem sepe decretis honorificen-
 tissimis ornauit. Populiq.] in summo dignitatis
 gradu se Cicero dicit populi iudicio collocatum, quia
 populi suffragijs honores omnes consecutus erat.
 Sola] quia sunt in potestate nostra. non enim ab
 omnibus prudentia postulatur, quam prestare mul-
 ti, naturæ uitio, non possunt. Ego autem] non
 modo fidem, uigilantiam, patriæ caritatem, sed
 etiam prudentiam prestandam esse puto. Cum
 mihi tantum sumpserim.] cum ad remp. ad-
 ministrandam me contulerim. Si quis enim quid su-
 scipit, nec sustinet, reprehensione uacat. In aciem
 esse,] uel, In aciem, dixit, ut motum animi sui
 declararet, quasi, In aciem spectare: uel antiquo
 more locutus est, in aciem, pro, in acie: ut in ora-
 tione pro lege Manlia: Cum nostros portus in præ-
 donum fuisse potestatem sciatis: & Plautus in Am-
 phitr. Mibi in mentem non fuit. que notauit Gel-
 lius lib. 1. cap. 7. In aciem igitur, in pugnam, que
 inter Antonium ducesq. reip. breui futura uideba-
 tur. Neque respectum ullum quærere,]
 neque quoquam respicere. Conuerterit] nisi ali-
 quid

epist. ad M. Brutum . 6

quid existat eiusmodi, quò, propter utilitatem reip.
animum meum respicere oporteat . Te, Cas-
siumq.] qui, Cæsare interfecto, Italia excessere-
rant, copiasq. pro reip. partibus comparabant . C.
Cassium cum M. Bruto, uxoris suæ fratre, item D.
Bruto, et alijs, C. Cæsari manus attulisse, nemo
nescit . Bene res gesta] ad Mutinam . Melio
rem remp. esse faciendam,] sic ad Cassium,
ep. x. lib. 12. Te in Italiam venire cum exercitu:
ut, si hæc ex sententia confecta essent, consilio, at-
que auctoritate tua, sin quid forte titubatum esset,
ut fit in bello, exercitu tuo niteremur . Si quid
offensum sit,] si aduersi quid euenerit: quod di-
xit ep. 6. ad Cassium, lib. XII.

E P I S T O L A I I I .

Iisdem consulibus .

P L A N C I] L. Munatij Planci, ad quem
scripsit Cicero lib. x. fam. Egregium,]
ut litteris ostendebat: nam postea defecit
ad Antonium . Legiones,] ueteranas tres, ti-
ronum unam . ep. xxiv. lib. x. fam. Auxilia,]
Gallorum . Copias,] quidquid habet copiarum .
sic ep. 6. Exercitum, copias, legiones . Lepidi]
M. Aemilij Lepidi: de quo Velleius hæc lib. 2. Lepi-
dus Pontifex Max. in locum Cæsaris furto crea-
tus, decreta sibi Hispania, adhuc in Gallia moraba-
tur.

Commentarius in lib. I.

tur. Tui necessarii,] *M. Bruti sororem in matrimonio habebat. Secundum fratrem,] post fratrem. sic ad Atticum: Secundum te nihil mihi est solitudine amicus. Lepidi frater fuit L. Paullus, qui consulatum cum C. Marcello gesserat. mox a fratre ad necem traditus, societate a triumviris pendendæ reip. facta. Plutarchus in Antonio. Affines] te, & C. Cassium. Bruti enim sorores duæ altera Lepido, altera Cassio nupsit. Leuitatem, & inconstantiam,] prodita rep. ad Antonium descuerat. quod factum excusare ipse conatur ep. ultima lib. x. fam. Eius uidelicet ingenium probe nouerat D. Brutus, qui eum appellauit homine uentosissimum, ep. 9. lib. xi. fam. Expediendo,] obsidione liberando. Seruilio] qui consul fuerat cum C. Casare. Nobilem] gestis honoribus. Neminem liberum duceret.] omnes, tanquam seruos, contemneret. In Planci causa] hac de re in ep. 12. lib. x. fam. A Lentulo nostro,] is est, cuius epistolæ duæ sunt lib. xii. fam. post hoc tempus conscriptæ. De legionibus, de Syria,] Cassius & legiones comparauerat, & Syriam ad reip. partes traduxerat. Cecidit] fracto animo, utpote qui Antonio faueret. Assensum esse mihi] de Plancio ornando, quia scripserat ad senatum, se, & exercitum suum præsto ad omnia pro libertate reip. futurum. ep. 8. et 12. lib. x. fam. Sed quo] mutilus locus.*

E P I S T O L A I V.

Iisdem consulibus.

OSTRARVM rerum,] quas ipse,
 N et Cassius gesserat, traductis ad se magnis
 copijs, capto etiam C. Antonio, Marci
 fratre. Plutarchus, Appianus, Dio. De Mor-
 te Trebonii.] post nuntios de morte Trebonij,
 quem Dolabella Smyrnæ occiderat, eiusq. provin-
 ciam occupat. Consilium tuum] dimitten-
 dus ne sit an retinendus C. Antonius: de quo etiam
 paullo post subiungit hæc: si scirem, quid tibi place-
 ret: sine solitudine essem. tum a Bruto captum, et
 Plutarcho, alijsq. constat. Scelere] Dolabellæ.
 Ciuem optimum] C. Trebonium. Provin-
 ciæ] Asiæ, quam senatus Trebonio admini-
 strandam dederat. ep. 16. lib. XII. Neque minus
 turpe,] hoc uidetur dicere: non minus turpe erit,
 Asiæ sero a nobis recuperari, quàm turpe fuit
 eam amitti. Antonius] Caius, Marci frater,
 qui anno superiore prætor fuerat. Adhuc] appa-
 ret, de eo iam antea Brutum ad Ciceronem scripsisse.
 Precibus,] cum oraret Antonius Brutum,
 ut se dimitteret. Ne illum aliquorum furor
 excipiat] ne illum, alienatum a me dilationibus
 meis, ducem sibi libenter arripiant male de rep. sen-
 tientes: quorum furori aptam occasionem dare nol-
 lein.



Commentarius in lib. I.


lem. Aestuo] inopia consilij laboro ; usitatus loquendi modus. A Murco, & a Marcio,] Cassius ipse in epistola ad Ciceronem, quæ lib. XI I. fam. legitur, Murcum, Crispum, Bassum, Allienum nominat, a quibus traditas sibi legiones dicit. Marcij mentionem nullam facit. Tertiam] Cassii uxorem ; quam cum matre Seruilia a C. Casare supratam Suetonius, & alij tradiderunt. Ederent] diuulgarent. Hoc] Syriacas legiones ad Cassium iuisse. Kalendis Ian.] Philippica v. significatur. De litteris meis,] Philippica x. Animi] quia causam reip. acriter, & libere defendas. Libellis] liber interdum pro oratione accipitur, ut hic, alibi quoque. Iam concedo,] quasi antea non concessisset : quod arrogantia quædam uideretur, eodem nomine eas orationes appellare, quo suas in Philippum Demosthenes appellauerat. Aduersus Pansam] consulem : qui discedere ex Italia milites nolebat, quo maiores ipse copias, cum Antonio, Mutinam obsidente, pugnaturus, habere posset. epistola sequenti. Actione in senatu :] hoc opponitur ad id, quod proxime dixit, secreto consilio. nam, agere in senatu, est palam agere. Reliquorum.] hic aliquid desideratur : quod quale fuerit, diuinare non licet. hoc tantum dicam, cum hac sententia non uideri satis congruere quæ subsequuntur, Hoc magis doleo &c. sed illud aptius coniungi posse, Vetus Antistius me tamen pecunia subleuant. totum autem illud, Hoc

magis doleo , &c. inferius collocandum , absoluta iam pecunia mentione . Vetus] cognomen est , non prænomen , Antistij . nam & cognomina interdum præponuntur , ut , Crispus Sallustius , Paullus Aemilius , Gallus Caninius . Pecunia] iucies HS Bruto dedit . ep. 15 . & Plutarchus in Bruto . Mihi se probat] coniunxerat se Ciceronis filius cum Bruto . Plutarchus . Animi magnitudine ,] ab hoc Cicerone uictum prælio C. Antonium , ait Plutarchus . Non fore illi abutendum gloria tua ,] non necesse futurum , ut quo possit ad paternos honores peruenire , tua gloria potius , quàm sua uirtute nitatur .

E P I S T O L A V .

Iisdem consulibus .

S **C**A**P**T**I**O] duos Scaptios , Bruti familiares , nominat Cicero in ep. 1 . & 3 . lib. VI . ad Att. Exaravi] exarare , est raptim scribere . Lætor ,] quòd Syriam , & Syriacas habeat legiones . Irascente Panfa ,] de hoc in epistola 7 . lib. XII . fam. Sine nostro s. c.] sic ad Cassium , in ep. 7 . lib. XII . fam. Promisi , & prope confirmaui , te non exspectasse , nec exspectaturum decreta nostra , sed te ipsum tuo more reimp. defensurum . De te etiam dixi tum , quæ dicenda putavi .] integer



Commentarius in lib. 1.

teger ex ameter, ut ep. 2. quod ibi notauimus. Hæc ad te oratio perferetur] *Philippica 1 x. De Antonio] de Caio. epistola superiore. Bruti] Decimi. Exitum] utrum, uictō Antonio, seruetur Brutus; an aduersi quid eueniat. Facultates,] rationes pecuniæ colligendæ. Decernuntur,] decernebatur de utroque consule aduersus Antonium mittendo, ut D. Brutus obsidione liberaretur. Nullas copias nimis magnas] quia cum firmissimo, & maximo Antonij exercitu conflegendum erat. Ne te quidem] quòd ne te quidem, non modo Antonium, nimis firmum esse uelit. Etiam nunc partes appellantur,] Casare interfecto, caussam tamen eius contra libertatem tuebantur multi. Neque, si posset, non diuulgandum potius,] & si posset, diuulgandum potius.*

EPISTOLA VI.


A NTONII] *C. Antonij, qui erat in Bruti potestate. Nemini concedo:] in te amando. Eadem omnes] scribere. Quæ tua,] defendendam libertatem æque sensimus, ego fortasse paullo seuerius. Sed regno] ad Cassium, ep. 1. lib. XII. fam. Non regno, sed rege liberati uidemur. interfecto enim rege, regios omnes nutus tuemur. tabulæ figuntur: immunitates dantur: pecuniæ maxima describuntur: exsules*

les reducuntur: s. c. falsi referuntur. Magno dolore] ob ea, quæ consul fecit Antonius. Magno periculo] ob Mutinæ obsidionem, quasi potiretur Antonius, ad urbem se cum omnibus copijs hostili animo referret. Recenti illo tempore,] statim post Cæsaris necem. Ad pacem] conferbas. ideo, neminem præterea necandum, censebas. Ad libertatem,] cum agenda omnia dicerem, ut, rege sublato, etiam regno liberaremur: itaque Antonium, quique cum eo contra libertatem sentirent, armis esse persequendos. Quæ sine pace nulla est:] itaque, quod ad studium pacis attinet, minime a te dissentiebam: sed tu pacem sine armis effici posse sperabas, ego secus. Arma poscentium:] fortium, & bonorum civium. Restinximus.] non hoc de se ipso dicit, qui pacem sine armis effici non posse duxerat, sed de ijs, qui Bruti sententiam secuti, impetum pugnare cupientium represserant. Itaque] culpam notat eorum, qui studio pacis in summum discrimen reip. adduxerant. Cæsari Octaviano] qui nisi fuisset, Antonij reditus a Brundisio, unde se cum Macedonicis legionibus referebat, pestis patriæ fuisset. ep. 25. lib. XII. fam. & Philippica III. V. VI. XIII. XIV. ad Att. ep. 7. lib. XVI. & hic ep. 7. & in historijs. Illam mentem] ut Antonium ab urbe auerteret. Res a te gesta] cum tyrannum occidisti. Repellit omnes reprehensiones;] est enim tanta, ut nihil nobis a te postea prætermis-

Commentarius in lib. i.

sum, liceat reprehendere. Nuper] quod antea non feceras : qui conseruari Antonium uolueras. Vultus Seuero,] antea leniter agebas : nuper autem consilio mutato, seuerum uultum ostendere cœpisti. Antonii] C. Antonij. Exitum optabilem.] cum se Bruto omnes, plane C. Antonij copiae cum ipso duce dedidissent. Ciceronis mei,] pugnasse Ciceronis filium cum C. Antonio, & uicisse, Plutarchus narrat. Referri] ad senatum. a quo autem referri, cum abessent ambo consules, ad D. Brutum obsidione liberandum profecti ? a pratore urbano, qui, absentibus consulibus, consulare munus more maiorum sustinebat : ut ep. 12. lib. x. fam. Tempus turbulentissimum] cum inter Antonium, & duces reip. pugna exspectaretur, D. Bruto uix iam Mutinae sustinente. Honos] supplicationes significari constat. Iustus,] quia rem supplicationibus dignam gessisses. Diis immortalibus] quorū ad templa, gratias acturus pro re bene gesta, supplex populus accedebat. ep. 18. l. x 1. Tuo, inquit, nomine gratulationē ad omnia deorum templa fecimus. Ecce tibi] tibi, ornatus gratia, posuit, ut alibi sepe. Sic, At tibi, dixit, ep. 2. lib. 9. fam. Seruilio] M. Seruilio, de quo ep. 7. lib. xii. fam. Cornuto] pratori urbano, de quo ep. 12. lib. x. fam. Magna admiratio,] nam si proconsul C. Antonius, cur aduersus eum pugnavit Brutus ? sin recte Brutus ; cur proconsul Antonius uocetur ?

Dolabella imperator :] qui Trebonium occiderat. nec enim , qui remp. oppugnant , ullo honore digni sunt . Antonium] eundem Caium significat . Dignitatis tuæ] quia , si proconsul est Antonius ; tantum abest , ut laudandus sis , ut etiam reprehendendus , quòd contra proconsulem arma ceperis . Increbuisse] de inscriptione illa , Antonius proconsul . Offendisset ;] quia litteras C. Antonij cum illa inscriptione attulisset . Multa] dixi , cur illa mihi non probaretur inscriptio . Sextius] P. Sextius , pro quo extat Ciceronis oratio . Causæ] causam appellat id , quod agitur , ut alibi quoque . Suum filium ,] qui erat in castris Bruti . Labeo] Segulix gentis cognomen . Cogere] exprimere , obtinere . Probabat .] quod alibi dicit , fidem facere , pro , persuadere . Cui parcimus ?] Bruti consilium reprehendit , qui C. Antonio parcendum putabat . Nam quid interest] æque hostes reip. sunt tres Antonij fratres , Marcus , Caius , Lucius , ut Dolabella , quem bello persequendum statuimus . Duri fuimus] cum eum , tanquam hostem , armis persequendum decrevimus . Res ipsa] quia tum a Dolabella , tum a tribus Antonijs imminere summum reip. periculum omnes uidebant . Auctoritate] auctoritas est opinio quedam sapientiæ , atque uirtutis , etate , rebus gestis , honoribusq. parta . Defendam] amicitix causa . Non relinquam meam .] quia meliorem puto . Dissolutum] nimiam cle-



Commentarius in lib. I.

mentiam, reip. periculosum, cui dixit iam non esse locum his rebus, & his temporibus. Induces] C. Antonium, qui uenerat in Bruti potestatem, significat. Vehemens] acrior. laudat moderationem, sed ita, ne ducibus parcatur: ut moderatio sit, quod ad milites tantum, qui se dediderant, pertinet quibus ignoscendum censet. nam ducibus, qui nefarium bellum comparauerint, parcendum negat. Imitationem tui.] sic ad Lentulum, ep. 7. lib. I. fam. Lentulum nostrum in primis imitatione tui fac erudias. nulla enim erit hac præstantior disciplina. Maximeq. mirabiles.] litteræ mirabiles, mihi quidem nõ ualde satisfacit, nec usitatum puto. quòd si, Litteræ plenæ rerum nouarũ, maximeq. mirabilium, legas; tum uero non loquendi modo genus, uerum ipsa quoque sententia mirifice satisfaciet. Ac uideo ita scriptum esse in libro Pauli Magnuli: quo in libro solebat ille (quod ex ipso, cum uideret, audierim) miniatulis litteris ea notare, quæ in antiquis exemplaribus, contra quàm esset in impressis, animaduertent. Dolabellam] P. Cornelius Dolabella, Ciceronis antea gener, cum aliquandiu bonum ciuem simulasset, ut etiam columnam illam, Cæsari erectam, euerteret; ad extremum, corruptus ab Antonio, reip. causam deseruit; & Syria administratione a populo accepta, uictus a Cassio, & Laodiceæ oppressus, seruo suo cernicem feriendam præbuit. Hæc ex historia: quæ auctoritatibus singula confirmare, putidum uidetur.

Unum addam , patricius fuerit , an plebeius , in dubium uocari posse . uerum dubitationem prorsus omnem tollit Dio ; qui , transisse illum ad plebem , lib. 42. tradit . Suspiciari fortasse aliquis posset , Dolabellam ex Cornelio Liuium esse factum , mutato gentis nomine Liuiæ testamento ; qua de re in epistola ad Atticum 8. lib. 7. ideoq. , cum Liuij essent plebeij , tribunum pl. fieri potuisse . sed inuenio illum Cornelium , non Liuium , aliquot annis post epistolam illam a Cicerone de Liuiæ testamento scriptam . nam epist. 36. lib. XIII. P. Cornelium uocari dicit eum , qui Dolabellæ beneficio ciuitate a Cesare , uicto iam Pompeio , donatus erat . & Dio eo , quo diximus , loco , P. Cornelium Dolabellam , neque prænomine , neque nomine , ueque cognomine immutato , tribunum pl. appellat . ut fortasse a Cornelio aliquo sit adoptatus . Ex Asia fugere] ex Asia cedentem Dolabellam , & in urbem Laodiceam receptum , C. Cassius , cui Dolabellæ oppugnandi curam senatus mandauerat , cum XII. legionibus obsedit . Appianus . Cum tu eò] Dictum paullo durius uideri potest : cum neque Ccero ipse eodem modo locutus alibi sit , neque quisquam , quod sciam , de ijs , qui optime latine scripsisse existimantur . at si , Eò haberes , ita accipias , quasi , prope eum locum haberes ; ferri fortasse posset : ut genus loquendi , quale illud , sit , cum dicebant , esse ad urbem , hoc est esse prope urbem . Apollonia , Dyrrhachioq.] ubi suas copias eo consilio Brutus continuerat , ut , si forte

Commentarius in lib. I.

Antonius ad Mutinam exercitum reip. fugasset, quâprimùm eas in Italiam ad tuendam remp. posset traicere. Antonii] Marci; quem D. Brutus Mutina, ubi ab eo per aliquot menses obsessus fuerat, erumpens, & cum eo Pansa, & Hirtius consules, adhibito Octauiano, acie fuderunt. Populi Romani uictoria] ciuis enim loco Antonius non erat, hostis iam a senatu iudicatus. Sceleratissimo hosti] Dolabellam quoque senatus in hostium numerum retulerat. itaque cum dixerit, hosti, uere dixit: cum, sceleratissimo, depromsit maledictum ex ipsius pessime factis, ac præcipue ex C. Trebonij cæde; quem Smyrnæ, noctu subito aduentu oppressum, occiderat. infra quoque scelus ei attribuit, cum ait: Ut sceleris pœnas persoluat. Ludibrio] qui se putaret cum quinque legionibus, populi Romani imperium turbare posse. Tua dignitate,] dignitas est in ijs, qui uel summos magistratus administrarunt, uel maximas res pro patria gesserunt. primum illud, ut opinor, Cicero non spectauit, cum dixit, dignitas: quos enim magistratus Brutus gesserat? præturam ille quidem, sed & a Casare datâ, nec tamé omnem in ciuitate, nam post idus Martias, paucis interiectis diebus, metu Antonij, plebisq. ab eo concitatae, urbe excessit: ut per nouem menses integros minime præturam in urbe exercuerit. alterum igitur, de meritis in remp. significasse potius uidetur, cum eius, qui ciues suos a tyrannide uindicasset, dignitas postularet, ut idem hostem populi

puli Romani bello peteret . De Antoniis] illam
 seditionem concitavit C. Antonius Marci frater ,
 cum esset in potestate Bruti . itaque expono , De An-
 tonijs , de partibus Antonianorum fratrum suble-
 uandis . Quod autem infert , Magis mihi probatur
 militum seueritas , quàm tua ; significat id , quod a
 Dione scriptum legimus ; cum milites ipsi , qui sedi-
 tionem fecerant , ut delictum suum quodam modo
 corrigrent , seditionis auctores occiderunt , queflo-
 remq. etiam & legatos C. Antonij ad necem depo-
 posterunt : quos Brutus , clementiam magis , quàm
 ad seueritatem , propensus , nauibus impositos , qua-
 si mox mari demersurus , male de se meritos tamen
 seruaui : ipsiq. etiam Antonio , cuius opera bis iam
 conflata seditio erat , iterum pepercit . Miror autem
 quid sibi uoluerint , qui hoc loco pro Antoniis Cato-
 nios , & nullo sensu , & contra ueterum librorum si-
 dem , reposuerunt . Beneuolentiam exerci-
 tus ,] Credo , cum auctores seditionis occiderunt , quo
 beneuolentiam erga Brutum declararent . Proui-
 disse] operam dedisse , & a senatu impetrasse , ut
 decreta nostra ne expectares , ipse ad arbitrium tuum ,
 uti res poscere uideretur , bellum administrares .
 Vt nunc iudico ,] quia uideo , ex ijs rebus , quas
 geris , multum accessurum ad dignitatem tuam .
 tunc id esse e rep . intelligebam , nunc e tua etiam
 dignitate iudico futurum ; cum ita te & copijs instru-
 etum , & animo paratum uideam , ut et remp . in li-
 bertatem uindicare , & te ipsum laudibus illustrare
 possis .

Commentarius in lib. i.

*possis . Maximo otio] ita ueteres libri , sine du-
 bio mendose . quid enim elicitur sententiæ ? ego mal-
 lem , Maximo animo , non omnino procul a uetere
 scriptura . nam si , animo , tribus dumtaxat litteris ,
 linea superimposita , scribas , sic , aïo ; neque con-
 tra consuetudinem facias , & facilem fuisse ex , aïo ,
 in , ocio , mutationem , facile perspicias . An-
 tonios ,] tres fratres , Marcum , Caium , Lucium :
 qui ut hoſtes a ſenatu iudicarentur , maxime Cicero
 nis opera eſt perfectum . Neque clementiæ tuæ
 concedo .] neque concedo , clementior ut ipſe ſis ,
 quàm ego ſum . Inanem ſpeciem] eſt enim cle-
 mentia ſpecie quidem præclara , ſed re ipſa non nun-
 quam pernicioſa . qui enim ita ſunt perditæ , ut ne
 beneficio quidem affecti prauitatem mentis exſuere
 poſſint , præſtat eos tollere , quàm ſeruare . Brutus
 tamen , cum C . Antonio de concitata ſeditione peper-
 ciſſet , iterum ei , in eiufdem culpæ crimine depre-
 henſo , ueniam tribuit . Mihi quidem &c .]
 quod in epiſtola ad Atticum græce dixit , βεβιωται ;
 hic latine , Plautinis uerbis , acta ætas eſt . & inter
 illum locum , & hunc aliquantum eſt in ſententiæ ſi-
 militudinis . ibi enim , Mihi quidem βεβιωται ; uide-
 rint iuuenes : hic ,
 » Mihi quidem ætas acta ferme eſt ; tua iſtuc re-
 fert maxime .
 emendandi autem ſunt , qui typis impreſſi circumfe-
 runtur , Plautini libri . nam , ut in ijs nunc omnibus
 legitur ,*

Mihi quidē atas acta est; tua istuc refert maxime; uersus neque iambicus esse, neque trochaicus potest. itaque dictio, ferme, illuc est ex hoc Ciceronis loco transferenda. Senatus ducem] se ipsum designat: cuius fuit in senatu singularis auctoritas. Ex oraculo] uere, nam, ut Cicero futurum prouidit, ita cecidit. in quo singularem illius prudentiam licet agnoscere. Causæ autem, in quas intuens mouebatur, ut assiduis, & in eam sententiam accuratissime scriptis litteris Brutum in Italiam accerferet, huiusmodi ferme erant. Imminebat M. Antonius libertati, pecunijs; quas de templo Opis abstulerat, & legionibus, quas e Macedonia in Italiã euocauerat, instructus. præsidium reip. in quattuor maxime hominibus erat, in D. Bruto, qui Galliam cisalpinam, a senatu datam, administrabat; in adolescente Octauiano, qui priuato consilio exercitum comparauerat; in consulibus, Pansa, & Hirtio, qui, delectu acerrime habito, eas collegerant copias, quæ ad impetus Antonij reprimendos sufficere uiderentur. Quid igitur erat, cur Brutum Cicero, quasi publicæ causæ diffidens, tam sæpe, tamq. uehementer, ut in Italiam ueniret, hortaretur? Primum incertos belli casus, Martemq. communem extimescebat: itaque, si quid accideret, adesse Brutum, quò ciuitas, perditis rebus, tanquam ad arcem, confugeret, exoptabat. deinde non admodum erat, cur ab ipsis ducibus consideret. D. Brutus bene ille quidem de rep. sentiebat; nec erat quidquam de illius uoluntate dubitandum.

Commentarius in lib. I.

tandum: sed eius exercitus etsi numero amplissimus, firmitate tamen erat exiguus; quippe qui magnam partem ex tironibus constaret. tres reliqui suspecti esse poterant; Octavius, quod esset a C. Casare adoptatus, quoddamque ueteranis fere Caesaris militibus uteretur; Pansa & Hirtius, quod Casarianas partes civili bello semper fouissent, & a Casare magnis beneficijs ornati, percussores illius, Brutum & Cassium, libertatis auctores, nequaquam amare possent. atque hanc animi uoluntatem Pansa, diuturna simulatione obtectam, aperuit ultimo uitæ die; cum ex illis uulneribus iam iamque moriens, quæ aduersus Antonium pugnans accepisse pro rep. ac libertate uidebatur, Octavium, lectulo assistentem, multis uerbis est cohortatus, ut, quoniam, quidquid resp. uirium habuerat, totum id ad ipsum unum, profligato Antonio, consulibus interfectis, infirmo D. Bruti exercitu, belli fortuna contulisset, occasione uteretur, & de patris ulciscenda nece, consilium susciperet. Sine igitur Antonius uicisset, præcauendum erat, ne uacuum ac destitutum in remp. uictor irrueret: quod malum Bruti præsentis exercitus arceere poterat: siue, ut uinceretur, casus tulisset; id ipsum plane, quod euenit, Cicero metuebat; ne non satis in ijs esset constantiæ, ac fidei, quibus ipsa se resp. necessitate coacta commiserat. Vere igitur dixit, Hac ex oraculo Apollinis Pythij edita tibi putata. aduentum enim suum in Italiam Brutus ita distulit, ut spatium Antonio & Octauiio dederit eundem in publicam perniciem societatis.

E P I S T O L A V I I .

Pansa consule, Hirtio interfecto .

EST A sunt .] ad Mutinam ; cum duo
 G consules , Pansa & Hirtius , & pro præ
 tore Cæsar Octavianus cum Antonio pu-
 gnarunt . Sæpe scripsi] fortasse , quod eorum
 uoluntatem suspectam haberet M. Brutus ; qui eos
 C. Cæsaris , olim contra rep. pugnantis , in præsi-
 dijs fuisse meminisset . Indoles uirtutis .] uirtu-
 tem enim uiris attribuimus , indolem pueris , &
 adolescentibus . & quanquam Octavianus e pueris
 iam excessisset , cum annum ætatis , ut Velleius lib.
 II . & Tacitus lib. XIII . scripserunt , undeciesi-
 mum tunc ageret ; tamen ad earum rerum , quas
 contra Antonium pro rep. gesserat , maiorem ad-
 mirationem sæpe puerum Cicero appellat , ut in epi-
 stola ad Cornificium : Puer egregius præsidium sibi
 primum , & nobis , deinde summæ reip. compara-
 uit . Et in alia ad D. Brutum : Ne adolescentem ,
 uel puerum potius Cæsarem iudices temere fecisse ,
 & Philippica IV . Laudo , laudo uos Quirites , eura
 gratissimis animis prosequimini nomen clarissimi ad-
 olescentis , uel pueri potius . Honoribus] non
 præsentibus : magistratum enim nullam adhuc ge-
 rebat , tantum erat pro prætore : sed ijs , quos , ui-
 deo fore , ut optime de rep. meritis assequatur .



Commentarius in lib. I.

Gratia] quia nihil extraordinarium in libera ciuitate sperare quisquam potest, nisi gratia ualeat. reete igitur honores, & gratiam coniunxit: quod utrunque animos facere potest male cogitanti. Gratia,] ex amicitijs propinquitatibus, clientelis Cæsaris mortui collecta. Persuasum est] hoc illi persuasum non esse, magis e rep. fuisset. hæc enim illum ad immoderatam potentie cupiditatem extulit opinio. Antonium] cum Macedonicis legionibus Brundisio redeuntem. fam. l. 12. ep. 25. & ad Att. ep. 7. l. 16. & Phil. III. IV. V. XIII. & XIV. Ante hanc rem pulcherrimam] ante prælium Mutinense. Effundebat: cum ad te in Macedoniam trajicere decreuisset, si Antonius pugna uicisset. Idem scribit ad C. Cassium his uerbis. Brutus Mutinæ uix iam sustinebat: qui si conseruatus erit; uicimus: sin; quod dij omen auertant; omnis omnium cursus est ad uos. Ad XII. kal. Maii:] quo die de profligatis Antoni copijs nuntium accepit. In Capitolium] ut Ioui Opt. Max. propter uictoriam gratias agerem. In rostris collocatus] ut inde Pansa litteras de uictoria recitaret. quod ab ipso factum tradit Appianus lib. III. Illud addo, de Rostris uerba facere privato cuiquam non licuisse, nisi magistratus ei concionem daret. Collocatus igitur, concione a magistratu data. Gratiarum actio,] quod eo auctore bellum contra M. Antonium decretum susceptumq. esset, ut Philippicæ orationes declarant.

Popularem me esse] quod altoqui in malam partem accipi solet . nam fere ad seditiones excitandas , & statum reip. perturbandum , populi studium querebatur . sed , popularem esse in populi salute , præclarum est : ut ipse in quadam epistola , Fa-
 Eliam sumus in re salutarum populares . Liberalitas] liberalitatem posuit pro clementia : quia capto C. Antonio , & seditiones cohibenti , Brutus tamen pepercerat . quem ut occideret , dicitur a Cicerone litteras accepisse , ut apud Plutarchum legimus .

Vnam & eandem esse causam .] hostium loco omnes pariter esse habendos . quod si ita est , cur tu C. Antonium seruas ? cum ipsi Marcum & Lucium , eius fratres , armis persequamur . Consules duos] Hir-
 tium & Pansam . Dumtaxat bonos :] non etiam fortes & strenuos : quoniam uterque ceciderat . bonos autem , bene sentientes . Hir-
 tium quidem] corrigit quod dixerat , Dumtaxat bonos : sed corrigit tantum modo quod ad Hir-
 tium attinet . Fugerat :] Bononiam . Appianus .

Ferre non potuit] ideo bonus magis , quam fortis . Persequitur ,] lentius tamen , quam oportuit : quod habuit spatium Antonius sui recreandi .
 vide infra , & epist. fam. 173 . Sive captiuos , sive dediticios ,] rursus ad C. Antonium redit . fuit enim grauisimum Ciceronis odium in Antonio . Adiungit autem , Sive dediticios , quia non prolo captus erat C. Antonius a Bruto , sed se ipse dederat . leniores autem in dediticios , quam in captiuos ,

Commentarius in lib. I.


ptiuos, debemus esse. sed omnium eandem esse causam Cicero uolebat, odio uidelicet permotus: quod tamen dissimulat duobus modis, primum, cum interpretationem illam alijs adscribit; deinde, cum infert, Nihil differui durius.

EPISTOLA VIII.

Nullis consulibus, cæsis Pansa
& Hirtio.

RVTI nostri, & consulum,] *Decimi Bruti, & Hirtij, & Pansæ, consulum; qui Antonium pugna uicerant. et obseruandum, cum eius particeps uictoriæ Cæsar Octavianus fuisset, tamen hic a Bruto non nominatum; qui eum & ut Cæsar filium odio prosequeretur, & pugnare contra Antonium non tam pro rep. ut uidebatur, quàm priuatæ potentiæ causa suspicaretur. quam suspicionem res ipsa deinde comprobauit. Iudicium esse de iis ciuibus,] ad senatum, aut ad populum R. spectare, ut iudicet de ijs ciuibus, qui M. Antonium in bello secuti, pugnantes non interierint. itaque ego de C. Antonio, qui in mea potestate est, per me ipse non statuum: sed senatui, aut populo R. iudicandum relinquam. Quod enim non senatus censuit,] cur ego in C. Antonium durius aliquid statuum, cum id senatus aut populi R. iudicium esse debeat? iustissime igitur facio,*

facio , cum in eum , ut in hostem , non animaduer-
 to : siquidem senatui , aut populo R. suam potesta-
 tem praeipere non debeo . Res non coegit ,]
 Non accidit , ut ego eum occiderem : quoniam se ip-
 se mihi , eiusq. legio tradidit . Quidquam eri-
 pui :] hoc idco dicit , quia ornamenta militaria illi
 reliquerat . Plutarchus . Dissolute :] neque cru-
 delis in eripiendo fui , neque dissolutus in remittendo :
 custodiui enim illum diligenter . Quoad bellum
 fuit :] in Italia . quasi nunc , M. Antonio deuicto ,
 belliq. timore sublato , de Caio dimittendo , aut certe
 Romam mittendo Brutus cogitet . quem tamen non
 multo post , cum de Ciceronis & Decimi Bruti nece
 cognouisset , occidi iussit . Plutarchus . Tribue-
 re potentibus ,] aculeus in Ciceronem , qui Osta-
 uianum honoribus extraordinarijs ornabat . Quod
 autem pro , potentibus , in Bessarionis antiquo libro
 scriptum est , petentibus ; respuo . nam tum in uoce ,
 potentibus , Bruti , de libertate admodum timentis ,
 animus magis exprimitur : tum relatio illa , misero-
 rum , & potentibus , uim in sententia , concinnitatem
 habet in uerbis . Cupiditatem , & arrogan-
 tiam] cupiditas & de bonis , & de improbis ho-
 minibus usurpatur : ipsa per se neque turpitudinem
 habet , neque laudem . addit igitur , Et arrogatiam ;
 quod potest aliquis cupere , quæ non licet , neque
 tamen ea per arrogantiam occupare . Traduci
 ad mala consilia] uerus uates de Ostauiano .
 Largitionibus :] honoribus , qui supra modum
 dese-



deferantur : quibus , etiam qui recte sentiat , non
 nunquam corrumpitur , & daprauat . ubi enim
 maiorem aliquam potentiam nacti sumus , tantum
 abest ut humilia cogitemus , ut etiam ad altiora ani-
 mum extollamus . Est autem hic largitio , in tribuer-
 dis honoribus nimia liberalitas . nam largitio pecu-
 nie locum hic habere non uidetur . Neu sem-
 per &c.] hoc dicit . Casarem occidimus ; sed regiam
 potestatem M. Antonius , Casare nequior , assump-
 sit . ita uidendum est , ne , dum in Antonio tollendo
 sumus , hæc sit causa , ut Octavianus , potentia
 elatus , Antonio peior existat . Neque opinanti-
 bus , aut patientibus nobis] siue id nobis non
 opinantibus , siue patientibus euenerit . æque enim
 nobis uitio dabitur . Et aduerte , hanc loquendi con-
 suetudinem ueteres adamasse , ut libentius dicerent ,
 Neque opinanti , quàm , non opinanti ; ut exemplis
 intelligitur . Quanta maxima] antiqua locutio ,
 ut de oratore lib. i. M. Cato eloquentia tanta fuit ,
 quantam illa tempora , atque illa ætas ferre maximã
 potuit . Dixit etiam Celsus , bonus latininitatis auctor :
 Ut tumor , quantus maximus esse potest , se osten-
 dat . Et ipse Brutus infra , ep. 20. Sed etiam pru-
 denter] subaudi , sentiendo . potest enim aliquis
 bene sentire , nec tamen prudenter . quod obiectum
 est Ciceroni ; quasi , cum in remp. optime fuerit ani-
 matus , ei tamen male consuluerit , quia nimis extul-
 lit Octavianum . Tuæ uirtutes] In Bessarionis
 libro , Tuæ uirtutis , uideo scriptum esse , & coniun-
 gi

gi cum sequentibus : ut sit , Tuæ uirtutis unum
 hoc . Mibi ; ut dicam , quod sentio ; neque scriptura
 uetus , neque impressis libris recepta satis probatur .
 uetere quid significetur , non uideo . recens primum
 non caret suspitione mendii , quòd ab antiqua di-
 ferepat : deinde occurrit animo quiddam fortasse
 probabilius . periodum enim libentius ita conclude-
 rem ; *Alia omnia sic ad sunt , ut cum quolibet an-
 tiquorum comparari possint . Tuæ uirtutes , ad-
 ditum fortasse est , ut , quænam essent illa , quæ
 cum quolibet antiquorum comparari possent , ex-
 poneretur . Grato animo , liberaliq. pro-
 fectum ,] Laudem cum turpitudine coniungit ,
 quo sit reprehensio tolerabilior : quod ingenij , atque
 artis est . Et in cohortationibus , præceptum Cicero-
 nis est in epistola ad Trebonium , ut laudes eum ,
 quem cohortere . sic Brutus Ciceronem primum lau-
 dat ut gratum & liberalem , deinde reprehendit ut
 minus cautum , nec satis in tribuendis honoribus
 moderatum . nam ex Ciceronis sententia senatus
 & lictores , & cetera imperij ornamenta , no-
 men prætoris , dignitatem senatoriam , senten-
 tiæ prætorio loco dicendæ potestatem Octauiano
 decreuerat : post uictoriam autem Mutinensem
 quinquaginta dierum supplicationes . Philippica v .
 & xiv . & Plutarchus . Exemplo , aut præ-
 sidio] utrunque refertur ad illud , Male cogitan-
 tibus : ut tamen , male cogitantibus , ambigue di-
 ctum sit , hoc sensu : Exemplo , male cogitanti-*

bus ijs, qui cum dari aliquid a senatu, contra quàm legibus & more maiorum liceat, uiderunt, incendi facile possunt, ut eadem concupiscant: Præsidio, ei, qui accepit a senatu, male cogitanti. Itaque timeo &c.] sensus hic est. cum uestris decretis honorem propretoris contra leges habuerit; uereor, ne putet se altius adscendisse, cum ad hos extraordinarios honores adscendit, quàm sit adscensurus, si inde ad cōsulatum adscenderit. plus enim est ex priuato loco ad prætorium adscendere, quàm ex prætorio ad consularem; cum præsertim Octavius annum ageret XIX, cum prætorum iura cōsecutus est. timeo, inquit, ne plus putet esse, quod iam habet, quàm quod habendum restat; ideoq̄. in consulari cupiditatem facile ueniat. quod ita contigit. nam Octavius, consulibus ad Mutinam occisis, consul fieri uoluit: quod cum non impetrasset, iratus quasi ob ignominiam, prodita reip. caussa cum Antonio ac Lepido societatem iniuit. placet igitur legi, adscēsurum, pro descensurum. alioqui cum satis erit perplexa, tum inepta quoque uidebitur sententia. Non tyranno,] regnandi enim instrumenta facilius arripimus, si a senatu deferuntur, quod de Octauiano timendum est; quàm si a tyranno relinquuntur: qua occasione usus est Antonius. Interfecto:] non solum tyranno, quem imitari turpe fuit, sed eo tyranno, qui est interfectus; cuius exitum timere debuit Antonius. duæ igitur dictiones, Tyranno interfecto, altera turpitudinem, altera

tera periculum designat . Imperia quælibet]
 quæ restant ; præturam ipsam , consulatum , atque
 adeo dictaturam . Facilitatem] in tribuendis
 honoribus . Prouidentiam :] ad futura dispi-
 cienda . putas enim Cæsarem extraordinarijs ho-
 noribus , quos illi decreuistis , fore contentum . Te
 consulem factum] scribit Appianus , Cicerone-
 nem in senatu consuluisse , ut amissis consulibus
 Octavianus surrogaretur , eiq. deinde aliquis colle-
 ga adderetur , qui adolescentiam illius quasi magi-
 ster regere et moderari posset : senatû affecti ætate
 hominis ineptam ambitionem risisse . satis enim pa-
 tuit , quò spectaret . Filius] filium Ciceronis , qui
 Athenis philosophiæ operam dabat , Brutus secum
 abduxit , & equitibus præfecit . fam. l. 12. ep. 14.
 Dio , Plutarchus .

E P I S T O L A I X .

Nullis consulibus .

ERVILIUS etiam de Ventidio .]

S Seruilius Isaurici filius , is , qui C. Cæsa-
 ris collega fuerat in consulatu : Ventidio

Basso Mulione , qui ex humili admodum fortuna ad
 consulatum est euectus , primusq. Romanorum de
 Parthis triumphum duxit . Gellius lib. xv. cap. 4.
 Iisdem locis] ubi esses . nam , utrum in Macedo-
 nia esset , nec ne , fortasse ignorabatur . non erat cer-
 te , cum epistolam proximam superiorem scripsit :

Commentarius in lib. 1.

cum dicat a se filium Ciceronis in Macedoniam cum equitatu esse præmissum. Ad fidem, & ad dignitatem] cum enim tyrannum uita priuasti, quasi tuam in eo fidem obstrinxisti, eodẽ te in rep. animo semper futurum. persequi igitur ministros, imitatoresq. tyranni, qui tyrannum ipsum occideris, tuæ fidei uidetur esse. Dignitatem: in primis enim hoc te decet, tuisq. præclare factis dignũ est. Sceleris] quia rep. non solum deseruit, sed etiam oppugnauit: multoq. etiam magis, quia C. Trebonium occiderat. Hoc] ut persequerere Dolabellam bello. Tum:] cum te ad persequendum Dolabellam litteris hortabar. Fugæ:] bonorum, si ad Mutinam secunda fortuna usus esset Antonius. Ut spero:] dubitat adhuc, neque sine causa: nam Antonij equitatus integer p̄ane omnis ex prælio discesserat: præterea Ventidius suas legiones tres cum eo coniunxerat: & habebat ipse legionem secundam, & ex reliquis legionibus magnam multitudinem. fam. ep. 33. lib. x. et ep. 10. 13. lib. xi. Vestrum collegium] pontificum minorum. pontifex enim erat Brutus. ep. 19. Sacerdotum comitiis:] ratio creãdorum sacerdotum hæc fuit. Creati sunt a collegio pontificum usque ad consules C. Marium, & C. Fimbriam: qui fuit annus ab urbe condita DCCL: quo anno Cn. Domitius tribunus pl. lege lata instituit, ut populi comitijs crearentur: ut ex oratione II. in Rullum, & ex Suetonio in Nerone cognouimus. rursus uictor

Sylla eorum creandorum potestatem , populo ere-
 ptam , collegio pontificum restituit , ut ex Dionis hi-
 storiarum x x x v i i . collegimus . mox Labienus tri-
 bunus pl. lege Domitia renouata , ius creationis a
 pontificibus ad populum transtulit , anno ab urbe
 condita D C x c i . ut ex eodem Dionis loco per-
 spicuum est . Eiusdem fere sententiae , nouo aliquo
 iure adscripto , legem tulit C. Caesar dictator . po-
 stremo consul M. Antonius , qui triumuir fuit , pon-
 tificibus ueterem cooptandi potestatem , lege lata ,
 restituit , ut apud Dionem legimus lib. x i . i i i i . in
 extremo . quam tamen a Pansa consule sequenti an-
 no esse abrogatam , ostendimus in libro de legibus
 Romanis , quem propediem edituri sumus . Habe-
 ri posse :] lex quidem , quae uetaret , non erat :
 consuetudo tamen non ferebat . itaque lib. i i . ad
 Atticum , Quoniam , inquit , Nepos proficiscitur ,
 cuius auguratus deferatur . Nimirum significat ,
 Nepotis absentis rationem haberi comitijs augu-
 rum non posse . In Cappadocia] quò profectus
 erat , specie quidem ad uota matri deorum peragen-
 da , re uera ad bellum excitandum . Plutarchus .
 Lege Domitia] populi comitijs , ut Cn. Domi-
 tius tribunus pl. lege sanxerat . Augur :] augu-
 res sacerdotum numero continentur . lex autè Domi-
 tia de omnibus sacerdotijs erat . Qui petit cuius
 ue ratio habebitur ,] qui petit , de praesentibus
 est : cuius ue ratio habebitur , de absentibus . De
 Domitio , & de Catone nostro] altero L. Do-
 mitij



Commentarius in lib. I.

mitij *Ahenobarbi*, altero *M. Catonis Vticensis* filio, utroque arētissima affinitate *Brutum* attingente. nam duas *Porcias*, *Vticensis* filias, alteram *Ahenobarbus* in matrimonio habuerat, alteram *Brutus* habebat: ut etiā alio loco diximus. *Asiam*] non, quæ de tribus orbis partibus una numeratur, sed, quæ provincia est *Ciliciæ* finitima. Collegam sibi surrogasset] locus multis difficultatibus obstruēlus: quem tamen, ut spero, ita explicabimus, atque aperiemus, ut ad ueritatem nemo non possit, aditu patefacto, peruenire. Ac primum illud ponatur, *Ciceronem* *Bruto* significare, ut, si eundem sibi statuit in *Asiam*, decernat ante de *Marco* filio, utrum uelit eum ad sacerdotum comitia *Romam* uenire, præsentemq. petere; an in *Asiam* uenire proficisci. quò si proficiscatur, incommoda sequuntur illa. primum, si accersere eum ad comitia uoluerimus, facultatem nobis omnem auferet locorum longinquitas. sin, ut absens petat, placebit: infirma spe nitemur: cum sint omnia præsentibus facilia, quàm absentibus. Accedit illud, quo maxime *Cicero* perturbatur, quia, quando futura sacerdotum comitia sint, ignorat: nam cum ea non nisi a consulibus, aut ab interrege, aut a pontifice maximo haberi possint; consules porro hoc tempore nulli sint; interrex creari non possit; pontifex maximus *M. Lepidus* ab urbe absit: sequitur, ut de comitorum illorum die prorsus incerta coniectura sit. quam ob causam de filio accersendo constituere non potest.

itaque

itaque totam rem ad Bruti consilium ac prudentiam reijcit . Quod autem dixi , comitia sacerdotum solis consulibus habere licuisse , aut , si consules non essent , interregi ; probatur hoc modo . Pansa uiuo , celeriora omnia fuissent : mortuo , futurum , ut tardiora sint , Cicero uidet . cur tardiora ? nimirum quia quæ potestas surrogandorum sacerdotum penes consules erat , ea , sublatis consulibus , ad eos magistratus , qui supererant , non transferbatur . hoc ita esse , satis , ut opinor , illa uerba declarant : Nunc per auspicia longam moram uideo . Cum igitur , præter consules , ex ordinarijs magistratibus habere sacerdotum comitia nullus posset : simile ueri est , ab interrege haberi ob eam causam potuisse , quod interrex eodem , quo consules , iure esset ; utpote qui creandis consulibus habere comitia posset . prætores autem eodem , quo consules , iure non erant . nam , quamuis collegæ consulum dicerentur , minime tamen consularia comitia , ac ne prætoriam quidem , habere poterant . quod a Messalla in libro de auspicijs traditum , obseruauimus . longæ igitur moræ , quam Cicero timet , hæc est causa ; quod , extinctis consulibus , neque magistratus tunc erat , qui sacerdotes comitijs rogare posset ; & interrex toto anno creari a senatu non poterat . sic enim mos maiorum obtinuerat , ut , cum nullus iam esset patricius magistratus , tunc demum interrex a senatu crearetur . at hoc anno , mortuis Hirtio & Pansa consulibus , alij tamen supererant patricij magistratus , ut præ-

tores, adiles curules. ita nodus erat difficilis: quia neque praetor, aut adilis curulis habere sacerdotum comitia poterat; & qui potuisset, interrex, is ne creari posset, eorum causa fiebat. auspicia enim, quibus eum patres creare soliti erant, (nihil enim, neque publice, neque priuatim, maioris rei, sine auspicijs, apud ueteres gerebatur) redire ad ipsos non poterant, dum uel unus esset patricius magistratus. expectandum igitur erat, donec patricij magistratus annuo munere essent perfuncti. tunc enim creatus interrex a patricijs senatoribus comitia primum consulibus rogandis, deinde sacerdotibus habuisset. Aut intellige sic. Comitia primum consularia interrex habuisset, deinde consules creati sacerdotum comitia ipsi habuissent. quod similitudinem uelutatis maiorem habet: ut interregis una cura de rogandis consulibus esset; consules acinde reliqua perficerent. Queri potest; cur, quemadmodum Crispinus consul morti proximus, secundi belli Punici temporibus, dictatorem dixit; ne resp. sine consulibus esset, (iam enim & M. Marcellus, collega ipsius, interfectus erat) itidem Pansa, summo in uita discrimine constitutus, dictatorem non dixerit; a quo & consulum, & sacerdotum, aut saltem consulum, qui deinde sacerdotes rogarent, haberi comitia possent. Hanc dubitationem facile tollit historia. non enim, quo tempore Pansa petijt, creari dictatorem uidebat: cum dictatoris nomen M. Antonius consul funditus iam e rep. sustulisset. Pansa

uiuo] is Bononiæ perierat ex uulneribus Mutinen-
 si prælio acceptis. Surrogasset,] in locum Hir-
 tij eodem prælio interfecti. Prætoria,] desi-
 gnandis insequentis anni prætoribus. de consulari-
 bus comitijs, quæ ante prætoria fiebant, ideo non
 meminit, quia designati iam erant a C. Cesare,
 Parthicum bellum cogitante, qui post Hirtium &
 Pansam consules essent, L. Munatius Plancus, et
 D. Iunius Brutus. Et prætorijs antecessisse sacerdo-
 tum comitia, quòd deorum immortalium religio-
 nem rebus humanis æquum esset anteponi, uel hic
 locus perspicue demonstrat. Sacerdotum comi-
 tia] hæc non, ut magistratum, quotannis, sed,
 cum surrogandus aliquis esset in demortui locum,
 habebantur. Per auspicia] quæ ad patricios
 magistratus pertinebant, nec ad senatum, nisi cum
 ij non essent, transferri poterant. Unus] quasi
 dicat, duo nunc sunt, prætor, & ædilis curulis.
 patricij enim magistratus dicebantur ij, qui, maio-
 rum ætate, patriciorum causa ex gentibus patricijs
 erant instituti. Ad patres] non dicit, ad sena-
 tum, in quem non soli patricij; sed plebeij quoque,
 in primisq. qui ex equestri essent ordine, legeban-
 tur; sed, ad patres: quòd, a solis patricijs sena-
 toribus creari interregem, moris esset. et quan-
 quam, patres, interdum pro uniuerso senatu usur-
 patur; proprie tamen de patricijs dicebatur; qui-
 bus aditus in senatum initio solis patuit. itaque in
 epistola ad Patrum, Ad patres, inquit, censeo, re-
 uertare.

Commentarius in lib. I.

uertare : plebeij quàm fuerint importuni , uides : cum de patricijs Pati maioribus intelligeret . Re dire] tunc redeunt , cum , magistratibus nullis dum designatis , quod sæpe ciuium in dissensionibus contigit , annus abijt .

E P I S T O L A X.

Nullis consulibus .

G R A T I A S agam.] quòd eam sententiam dixisti , qua mihi honorificentius nihil esse potuit , ut meum esset liberum iudicium de bello gerendo . Aut ad commendationem honoris] ut , si comitia sacerdotum essent , peteret : si non essent , honorem suum ad insequentis anni comitia commendaret : quibus absens peteret , ne abesset ab exercitu , tam necessario reip. tempore . In suspicionem] legimus & apud Suetonium , suspectam Pansæ mortem fuisse , medicumq. Glyconem custoditum esse , quasi uenenum uulneri indidisset . quod & Tacitus lib. I. significat his uerbis : Cæsis Hirtio , & Pansæ , (siue hostis illos , seu Pansam uenenum uulneri affusum , siue milites Hirtium , & machinator doli Cæsar abstulerat) utriusque copias occupauisse . Torquato :] cur Torquato potissimum ? quia Pansæ quæstor fuerat , ut ex Appiano cognouimus ; consulisq. sui mortem persequebatur , pro ea necessitudine , quæ inter

consulem & quæstorem fuit : quam ad paternam caritatem accessisse , traditum est . ep. fam. lib. XIII . ubi M. Bruto Varronem , eius quæstorem , commendat : & in Diuinatione . Achilles] pro , Achilles : ad græcam inflectendi rationem , ut cum dixit , Achilleos nostri . Trebonii] quem Asia præfectum Dolabella Smirnae occiderat . Tullio :] Tullio Cimbro , qui Bithyniam administrabat . Dio lib. XLVII . Appianus lib. III . Plutarchus in Bruto . Flavius :] in exercitu Bruti opificum præfectus : quo in extrema illa Philippensi pugna cæso , dicitur Brutus in illius mentione uehementer suspirasse . Plutarchus . Necessariis tuis] erat enim Dyrrhachium in fide Ciceronis . itaque lib. XIV . ad Terentiam , Ciuitas , inquit , hæc semper a me defensa est . Et ad Atticum lib. III . Quod mei studiosos habui Dyrrhachinos , ad eos perrexi . Et in oratione pro Plancio : Dyrrhachium , quod erat in fide mea , petere contendi . Iam] ultimam : quæ longissime distat ab urbe Roma . sic Horatius ,

„ - hæc Ianus summus ad inimum

„ Perdocet .

Candauia] cuius montes Dyrrhachio LXXIX . distare , Plinius tradit .



Nullis consulibus.

I B V L V S] *Bruti priuignus . fuit enim*
B *M. Calpurnij Bibuli , qui C. Casaris colle*
ga fuerat in consulatu , ex Porcia filius ;
quæ post obitum prioris uiri Bruto nupsit . Sed uiden
tur duo Bibuli sacerdotium cupiuisse , ut est ep. 18.
Brutus autem priuignum solum commendauit . Plus
tarchus in Bruto , & Catone . Et , hunc de M. Bibu
li liberis primum non fuisse , prænomen ipsum decla
rat . fuisset enim Marcus , non Lucius , ex uetere con
suetudine . Marcus autem , ut opinor , perierat ali
quanto ante , interfectus a Gabinianis militibus .
Valerius cap. 1. lib. III. Cuius tantæ pro
rep.] hæc uerba indicant , cum dixit , Quam carus
mibi esse debeat , non significasse propter affinitatē ,
sed propter Bibuli uirtutem studiumq. erga salutem
reip. Si modo iusta est , aut pro officio &c.]
cum dixit , Iusta , ad uirtutem Bibuli spectauit ; quæ
ornari , iustum erat : cum , Pro officio necessa
rio , ad necessitudinem , qua Bibulum attingebat :
ut uel hoc nomine eius caussa uelle cogeretur . In
Pansæ locum] ut pontifex minor creetur . ep. 18.
auctor rhetoricorum ad Herennium itidem locutus
est lib. I. Augur damnatus de pecuniis repetundis ,
in dem ortui locum qui petat , nominauit . quam lo
quendi

quendi rationem qui non intelligebant, pro, In Pan
 fæ locum, focerunt, Is Panfæ locum, non mo-
 do contra ueterem latine loquendi consuetudinem,
 uerum etiam contra quàm in antiquis libris scriptũ
 est. Nominationem] ut tu de eo referas. sic
 Cicero auguratum petens, a duobus auguribus no-
 minatus erat, Pompeo & Hortensio. neque enim
 a pluribus licebat. Philippica II. & de claris orat.
 Appuleium uero] quasi Ciceronis auctoritate
 Appuleius magis, quàm Domitius, egeret, genere
 inferior, & patre natus minus nobili. Celebra-
 bitur:] laudabitur a me, tibiq. commendabitur.
 quasi dicat: Sed hæc epistola Bibuli solum caussa scri-
 pta est: neminem admisceo. Dimittere ex si-
 nu,] ita loquimur de ijs hominibus, aut rebus, quæ
 nobis carissimæ sunt. ad Quintum fratrem lib. II.
 ep. 12. Iam pridem istum canto Casarem. mihi
 crede in sinu est, neque ego discingor. Ex quanto
 potest euadere:] ex tanto uiro, quantus iam est,
 facile potest euadere, qui uestras paucorum laudes
 assequatur. quasi & magnus uir esset Bibulus, nec
 tamen Ciceronis adhuc paucorumq. similium laudi-
 bus par; sed qui, cum in uia uirtutis tantum proces-
 sisset, eos aliquando assecuturus uideretur.



Nullis consulibus .

EQVITVR iudicium tuum;] *no*
 S *lunt omnes boni idem, quod tu, temp. libe*
rari: in eoq. te ducem sequuntur. Muni
cipem Sueffanum] cum duæ sint Sueffæ, Arun
ca, & Pometia; utram intelligit? Pometiam. nam
Aruncam fuisse coloniam, non municipium, ex Vel
leio cognoscitur. Metello imperatore] qui a
Creta deivieta Creticus est cognominatus, & cum
Q. Marcio Vatia consulatum gessit. Plutarchus
in Pompeio. Octauum principem] in quavis
legione erant, ætas prima, Hastatorum; altera,
Principum; tertia, Triariorum. quæ, Velitibus ex
ceptis, diuidebantur singulæ in decem centurias, qui
& manipuli dicebantur. prima Hastatorum centu
ria, primus Hastatus, secunda secundus, & eodem
modo usque ad decimam uocabatur. sic primus Prin
ceps, secundus Princeps. primus autem Triarius
non dicebatur, sed primus pilus. centuriones autem
centurio primi Hastati, centurio primi Principis,
centurio primi pili. Velites autem in centurias non
diuidebantur, ut Polybius lib. VI. docet. Nasen
ninus igitur octauam principem, id est octauam cen
turiam Principum, duxerat sub Metello. sic apud
Cæsarem lib. III. de bel. Gal. T. Baluentius anno
superiore primum pilum duxerat.

E P I S T O L A X I I I .

Nullis consulibus .

VNGERER officio,] *Assequi non*

F *possum, quæ in re tantam iacturam fecisset Brutus, aut quod accepisset tantum uulnus, ut hac tam exquisita consolatione indigeret. si sperarer aliquid de Porcia uxore, quam Nicolaus philosophus ex quadam epistola, quæ Bruti nomine circumferebatur, uiuo adhuc marito mortem sibi consciuisse, colligebat; nisi & grauiter Plutarchus illam Nicolai opinionem conuelleret, & ego alia haberem argumenta, quibus, hanc epistolam nullo modo ad Porciæ mortem referri posse, facile intelligo. nam, ut alia omittam, Brutus ipse infra ad Atticum scribens, V aletudinem, inquit, Porciæ meæ tibi curæ esse, non miror. Neque uero est, quod quisquam dicat, fieri posse, ut inuersus sit ordo epistolarum; utq. illa Bruti ad Atticum, quæ posterior legitur, ante hanc tamen scripta fuerit. etenim, cū hæc a Cicerone scripta est, non dum erat ab Octauiο superatus Antonius. id uel ex eo intelligi potest, quod ad finem ita scribit: Nos te, tuumq. exercituum exspectamus: sine quo, ut reliqua ex sententia succedant, uix satis liberi uidemur fore. Nempe igitur adhuc in ambiguo res erat. at uero illam alteram, superato iam Antonio, scriptam fuisse, nemo*



Commentarius in lib. I.

nemo ignorare potest, qui eam legerit. Quare, ut dixi, de Porciæ morte non est cur possimus intelligere. Quid igitur? omnino sciri posse non arbitror: nisi, quidquid est, magnum aliquid sit, necesse est; cui & ei Cicero nihil in terris simile fuisse dicat, & in tota epistola multa ponat, quæ insigniter magnitudinem uulneris, a Bruto accepti, amplificent. quid autem fuerit, cum diligenter & accurate cogitauerim, reperire, uerum ut fatear, non quæo. In meo luctu,] in obitu Tulliæ: quam cum illi carissimam esse constaret, susceptum ex amissa dolorem lenire litteris præstantes uiri uoluerint, Ser. Sulpicius, M. Brutus, Cæsar ipse, cum eo tempore in Hispania contra Pompeij liberos pugnaret. Iis remediis,] rationibus & argumentis ex philosophia depromptis. Ut es tu,] Quantus es tu, consuetudo amat. est igitur minus usitata locutio notanda. Cum rationes, tum auctoritas tua] hæc enim ad consolandum plurimum ualent. itaque & Sulpicio per litteras consolanti idem respondet lib. I v. fam. Me non oratio tua solum, sed etiam auctoritas consolatur. Notanda sunt quasi capita quedam consolationis. Officio, & naturæ] officio, quod immoderatus luctus turpis uideretur, præsertim in me ipso, quem ætas, & dignitas, & res gestæ a muliebri mollitia deterrerent: Naturæ, quæ moriendi legem, communem omnibus, ita sanxisset, ut abrogari nunquam posset. Populo, & scenæ] omnibus hominibus: quod omnia tua facta

*Etæ æque manifesta sunt , ut ea , quæ histriones in
 scena , spectante populo , agunt . Fortiores cete
 ri fumus ,] exemplo tuo , qui tyrannum occidisti ,
 ad fortitudinem excitati . Cui simile in terris
 nihil fuit] adhuc considero , ad quem hæc uerba
 referri possint , cum , ut ostendi , neque ad matrem
 possint , neque ad uxorem . Ne id ipsum ,]
 nam , ut scripsit in 1 v Tusculana , id ipsum nihil do
 lere , immanitatis est in animo , stuporis in corpore .
 Ut modice ,] doleamus . Vix satis liberi]
 quasi solidam libertatem præter Brutum nemo spe
 ctaret , ne ex ijs quidem , qui tum reip. causam con
 tra M . Antonium in Italia tuebantur , præsertim
 cum Octauium Cæsaris nomen incitare contra liber
 tatis auctores uideretur . Plutarchus etiam unum
 M . Brutum legitima reip. iura cogitasse tradit .
 scripsit idem ad C . Cassium his uerbis : Ut omnia ,
 ut spero , prospere succedant , multum interest te
 uenire . exigua est enim spes reip. Et ad ipsum Bru
 tum infra scribens , indicat , se non optime sperare de
 rep. ne hostibus quidem uictis . ep . 19 . Vete
 ri] Antistio . ep . 15 . intelligit autem eas litte
 ras , quarum infra initium est , Etsi daturus eram .*



Nullis consulibus.

C OGNITA senatus auctoritate,] occi-
 sis consulibus ad Mutinã, Octavianiani poten-
 tiam senatus suspectam habere cœpit, pre-
 fertim cum is, ut alteri e consulibus sufficeretur, po-
 stularet. itaque Brutû e Græcia decreto renocauit,
 sed frustra. nam, inter Antonium, Lepidû, Octavia-
 num conspiratione contra remp. facta, trium uiro-
 rum armis oppressa sunt omnia. Auctoritate]
 non hic, ut alibi, senatus auctoritas a senatuscon-
 sulto differt. qui enim simile ueri est, cum in aper-
 to discrimine resp. uersaretur, Octavianiani opibus
 post Antonij fugam immoderate auctis, senatum
 in tanta re auctoritate fuisse contentum? quod, ut
 ostendimus in libro de senatu, uoluntatem quidem
 senatus indicabat, infirmior tamen erat, quàm
 senatusconsultum. Frangebantur] Non Octa-
 uianum designat, qui ab initio belli optime sentire
 de rep. uisus est: nec in eum, Frangebantur, ullo
 modo conuenit: sed Antonij studiosos maxime in-
 telligit. Socerum] nisi me coniectura fallit,
 Pansa socer fuit Q. Fufius Calenus. coniecturam
 inde duco, quòd eum uideo a Pansa consule senten-
 tiam primum rogari; qui tamen neque dum consul
 fuerat, neque Ciceroni certe rebus gestis, & meri-
 tis

tis in remp . antecellebat . ut hoc ei deferre honoris , nisi propinquitate moueretur , Pansa non debuerit . Recitemus Ciceronis uerba ex oratione x . in Antonium . Necessitatem , inquit , mihi attulit paullo plura dicendi , sententia eius , qui rogatus est ante me . & insert proxime : Quæ est enim ista tua oratio Calene ? quæ mens ? qui nunquam post kal . Ianuarias idem senseris , quod is , qui te sententiam primum rogat . Et in VIII . in eundem , posteaquam Caleni cõsilium de pace cum Antonio iungenda satis multis uerbis exagitaui , subiungit hæc : Satis multa cum Fasio , ac sine odio omnia , nihil sine dolore . Credo autem , qui generi querelam moderate ferat , æquo animo laturum amici . quo in loco quin Caleni gener Pansa , qui consul erat , demonstratur , uix putauerim posse dubitari . conuenit enim , Generi querelam , cum huius epistolæ uerbis , Vehemens et acer Pansa , cum in ceteros huius generis , tum maxime in socerum . Gerebatur ,] tum , cum senatus erat erectior . Non nulla in Hirtio .] Hirtius enim ante Pansam ad Mutinam peruenit . Pansæ aduētū duobus prælijs cõfecta res est . ideo solum Hirtium nominat . Ut in secundis , fluxa ; ut in aduersis , bona .] huius belli fortuna neque secunda plane fuit , neque aduersa . nam , si secundas res cogitemus , in hoc minus felices fuimus , quòd uictoria nostri duces usi non sunt , hostibusq .] patium ad instaurandum bellū dederūt : sin aduersas , hoc prospere successit , quòd prælio ni-



Commentarius in lib. 1.

cimus . ergo est hoc , quãmobrem letemur , quòd
 erat uictrix resp. caesis Antonij copijs , ipso expulso :
 illud cur doleamus , quòd post uictoriã ita multa
 peccata a D. Bruto , ut quodãmodo uictoria exci-
 derit e manibus . ijsdem uerbis de se ipso usus est in
 epistola ad Atticum libro 1 v . ep . 1 . Ita sunt res
 nostræ , ut in secundis fluxæ ; ut in aduersis , bonæ .
 Bruti deinde] Et sententia patet ; & ita scri-
 ptum est in antiquis libris . miror tamen , cur istam
 culpam in D. Brutum nominatim Cicero contulerit ,
 cur non potius in Oct. uianum , quem a Bruto , ut
 Caesaris filium , non amari , probe nouerat : cuius
 certe grauius , quàm D. Bruti , peccatum illud
 fuit , quòd Antonium , ex Mutinensi prælio fugien-
 tem , persecutus non est . habebat enim copias ue-
 teranorum militum firmissimas : at D. Brutus &
 tirones , & omnium rerum inopia , propter diutur-
 nam obsidionem , pessime acceptos : quod ipse in qua-
 dam epistola , suam tarditatem in Antonio perse-
 quendo excusans , conqueritur . præterea ipse Ci-
 cero proximi uerbis non uni Bruto id tribuit , sed
 inter duces communicat : ait enim : Perterritos , in-
 ermos , saucios non sunt nostri duces persecuti . ui-
 dendum igitur , an glossa fuerit dictio , Bruti , ad
 illud , peccata , scripta ab homine imperito , qui
 quod Bruti , Oct. uianiq. commune fuerat , id unius
 Bruti proprium putarit . Leuitatem eius ,]
 etiam D. Brutus in quadam epistola hominem uen-
 tossimum appellat . et ep . 19 . Lepidus inconstan-
 tior ,

tior, *Antonius impurior*. Boni,] bene sentientes, sed a robore infirmi, ob ueteranorum infrequentiam. *sam. l. 12.* Litteris,] ab urbe missis. *sam. l. 12.* Interpretibus:] *ipsi, qui mandata ferunt, & referunt: ut illud in epistola Planci, sam. l. x. Do operam, ut Lepidum ad huius rei societatem incitem. utor in hac re adiutoribus, interpretibusque fratre meo, & Laterense, & Furnio. Et in Verrem: Hæc non occulte, non per amicos, atque interpretes, sed palam de loco superiore ageret pro imperio & potestate. Spem certissimam:] si peteret, certo adepturum. Necessarios] ad propinquos & amicos refertur. De L. tamen Marcio Philippo accipiendum non crediderim; quem de rep. potius, quam de Octauiani potentia, laborasse, demonstrant illa uerba in Bruti ad Atticum epistola: Quid profunt Ciceroni, quæ de libertate patriæ, de dignitate, de morte, exsilio, paupertate scripsit copiosissime? quanto magis illa callere uidetur Philippus, qui priuigno minus tribuerit, quam Cicero, qui alieno tribuit? & apud Suetonium legimus hæc de Octauio: Vrbe repetita, hereditatem adiit, dubitante matre, uitrico ueto Marcio Philippo consulare multum dissuadente. Consiliorum fontes] cum dicerem, a quibusdam in eam spem Octavianum esse impulsus; qui armare illum contra Brutum & Cassium, hoc est, contra libertatem cuperent. Extraordinario] ideo quia consilium nemo inibat, nisi annum ætatis quadragesimum*



Commentarius in lib. I.

num tertium absoluisset . extra ordinem quandoque iunioribus ea dignitas demandabatur . Potentissimi] Hirtij enim & Pansæ uictores exercitus solus occupauerat . Auctor] neque ad populum , neque in senatu . Militum deliciis ,] cum milites , ommissa ueteris disciplina seueritate , per summam indulgentiam a duce corrupti , facilius libidine illius secuturi , quam imperium reip . uideantur .

Deliciis igitur , perniciosa licentia , qua sibi eorum animos imperator deuinxit . Imperatoris insolentia .] qui ex uictoria ita insolens est factus , ut consulatum audeat postulare . Fugiebam ex Italia ,] in Græciam proficiscens . qua tota de re plenius in Philippica I . & ep . 25 . lib . XII . fam . Vestrorum] Bruti , & Cassij : de quibus Phil . I . Consilio , & auctoritate] adolescentem enim , militibus instructum , consilio , quo illa ætas indignet , inui , & auctoritate publica contra Antonium armaui . Plutarchus in Cic .

Magis , quam euentis rerum ,] tyranno enim a te interfecto , libertas consequi debuit : quod secus accidit : non dum enim resp . sui iuris est . Præsidii] Principijs , esse uideo in antiquis libris : quos ego libenter sequi soleo . hic tamé teneo me pulliss . nam etsi , principia , locum in castris fuisse , non ignoro : mihi tamen noue , nec satis ad exprimendam sententiam accommodate dictum uidetur . cur enim , In principijs uestrorum castrorum , potius quam , in uestris castris ? quibus in totis certe , hoc est ,

est, in uniuerso Bruti exercitu, non in principijs, hoc est, in parte aliqua, spes erat posita libertatis. praesidijs, uel unus antiquus liber si haberet, probarem multo magis, quam, principijs. esset aperta sententia, esset usitata locutio. Ab occidente,] in Hispania. uidetur Sextum, Pompeij Magni filium, & Asinium Pollionem significare. Adolescentis:] Octauiani. Sequitur ita aperta translatio, ut indicanda non sit, firmum, labefactant, moueatur. Quantulum reliqui est?] quasi dicat: Mea ipsius caussa non nimis dolebo: cui quantulum uitae superest? uos id potius iuuenes cogitate: quorum istuc refert maxime.

E P I S T O L A X V.

Nullis consulibus.

T IN Cæsare, & Antonio] fuit, cum

E Cæsaris nomine Octavianum acciperem: nunc aliter sentio. nam neque de Octauiano remp. defendente, neque de eodem oppugnante accipi potest. defensio non dum eius ulla fuerat, neque fuit ante Mutinensem pugnam: oppugnatio ite nulla, nisi post Antonium ad Mutinam fugatum. ergo de Octauiano, non est, ut possimus intelligere. de Cæsare dictatore dictum potius uidetur. hic enim primus, post eum Antonius remp. oppugnauit. Quod autem infertur, Si occasione potuisset oc

E 4 currere;

Commentarius in lib. I.

currere ; id non eò refero , ut eius belli , quod C. Cæsar contra communem libertatem gessit , breuitate exclusum Antistium a nauanda reip. opera existimem ; (non enim aut laboris , aut temporis parum in eo Cæsar consumpsit) uerum , quia uoluerit quidem , sed ideo non potuerit , quia uoluntatem minime subsecuta sit occasio. ideo enim occasione occurrere non potuit , quòd ea sese illi non obtulit . non igitur ei tempus , non uoluntas , sed res ipsa defuit .

In Achaia] cui , ut opinor , præerat : aut certe in qua exercitum habebat : quod infra patet .

Congressus] cum Dolabellæ in Syriam proficiscenti occurrisset .

Paratissimi] ut qui etiam C. Trebonium per insidias occiderit .

xx HS] non uiginti sestertiorum millia , quod Bruto exercitus habenti minimum subsidium fuisset ; sed uicies sestertiorum , id est , ad nostratis pecuniæ rationem , scutorum aureorum sexaginta millia . confirmat Plutarchus in Bruti uita , scribens , ab hoc Antistio tradita Bruti quinquaginta myriades : quæ sunt quingenta millia denarium , id est uicies centena millia nummum .

& sepe occurrimus in has notas , quæ non ex aperta significatione , sed multiplici numero sunt exponendæ , ut in epist. ad Sextium , lib. v. fam. tricies quinquies , non , ut in uulgatis libris legitur , xxxv .

& ad D. Brutum , lib. xi. quadringenties , ubi legitur , cccc . & alibi non raro .

Eundem] Romam .

Legatione] libera : quam senatus dabat .

Consules] apparet , aut hanc epistolam ante

te mortem Hirtij & Pansæ scriptam esse , aut Brutum , cum scripsit , Mutinensis prælij nuntium nondum accepisse . Dignitatem perfuncturus] quanto maior tua dignitas futura est . sic Terentius , opinor in Adelphis : Functus est officium probi adolescentis . duriuscule tamen dictum , Perfuncturus dignitatem , pro consecuturus dignitatem . nec , perfunctus , uideo quo modo hoc significare possit : nec usquam a ueteribus ad hanc sententiam usurpatur . malim , non ita magna litterarum mutatione , Dignitatem perfruiturus . quo participio & Cicero ipse usus est . & , fruor , Plautus cum quarto casu usus est . Tuis laudibus ,] si tu eum de optimo in remp. studio laudaueris . Indulgentia] tua in illum facilitate : si gratificaberis illi quacunque re poteris .

E P I S T O L A X V I .

Nullis consulibus .

ESSALLAE] Bruti amicissimo , qui
 M deinde apud Augustum opibus & gratia
 floruit . de hoc ep. 19. & Dio lib. XLIX.
 Coruino] Dubium non est , hunc originem ducere a Valerio illo , cui a Coruo , qui ei pugnanti opem tulit , Corui cognomen est inditum . qui si Coruus dictus est , ut ueteres tum lapides , tum nummi testantur ; quod a Carolo Sigonio , uiro doctissimo , et in

Commentarius in lib. I.

examinanda antiquitate diligentissimo, notatum est: uidetur & hic Coruus potius, quàm Coruinus, esse nominandus. quanquam non nihil in dubium me reuocat ueterum librorum consensio; in quibus esse uideo, Coruino: & quod Manilius poeta, qui Augusti temporibus uixit, Coruinum, non Coruū, nominat. Matris tuæ] quæ socrus erat Lepidi. ep. 17. Cedere,] non enim licuit, cum Lepidum hostem iudicaremus, eius liberos excipere. omnes enim eadem lege tenentur. Satisfactorum] facile meam causam probaturum; ut meā excusationem & satisfactionem acciperes. Honoribus amplissimis] ut etiam illi statua in Rostris erecta sit. infra ep. 19. De ui damnatus esset;] Perduelles, hoc est, ij, qui contra rempublicam suscepissent, de duobus alterum effugere non poterant, ut aut, si pergerent insanire, armis petiti debitas patriæ pœnas exsoluerent; aut, si se intra diem presinitam ad sanitatem recepissent, iudicio de ui omnino damnarentur. Eandem calamitatem subirent] quanto magis, cum eorum pater arma non posuerit, & in furore perseuerauerit, neque intra tempus a senatu constitutum ad sanitatem redierit. Consilio] in bello, exercitu eius resp. indigebat; uictis hostibus, consilio, ut urbanæ res componerentur. simile illud est in epistola ad C. Cassium: Te in Italiam uenire cum exercitu, persuasum erat ciuitati: ut, si hæc ex sententia confecta essent, consilio, atque auctoritate tua; sin quid forte titu-

titubatum esset , ut sit in bello , exercitu tuo nitere-
mur . & ad ipsum Brutum infra , ep. 19. & 20.
 Et te] *hoc aut uidetur abundare , cum iam dix-*
erit , Tecum ; aut ita corrigendum , ut legas , esse ;
& illud , esse , quod postea sequitur , tollas .

E P I S T O L A X V I I .

Nullis consulibus .

D E M. Lepido uereri] *de industria , ue-*
rerit , dixit potius , quàm timere : ut ali-
quid tamen se de Lepido sperare significet .
 Solitudine] *de pueris : quos Brutus & imme-*
rentes , & sororis suæ filios , affici pœna , inique fe-
rebat . Stomacho ,] in patrem Lepidum . A
 consulari , tali uiro] *uel , inquit , coniunctio-*
nis nostræ , uel reip. causâ impetrare hoc a te debeo .
uterque enim ita de illa meriti sumus , ut hoc potissi-
imum nomine gratificari alter alteri debeat .

E P I S T O L A X V I I I .

B R E V E S] *ualde breuitatem Brutus a-*
mabat in scribendo , tum quia natura seue-
rior , tum quia Stoicorû disciplinæ se peni-
tus addixerat . extant græcæ eius epistolæ breuissi-
mæ . & hanc eius consuetudinē Plutarchus , Appia-
nusq. commemorant . Pondus] cum grauissimis

Commentarius in lib. I.

de rebus scriptæ sint omnes . Extrusi] non dicit, conuicijs male acceptos tabellarios, qui tuas litteras attulerat, dimisi, sed, propere tabellarios cum litteris ad Ciceronem misi . Mea summa contentione] cur, Summa contentione? non, in alterum annum, etiam nemine contendente, produci ea necesse erat; cum, ut supra satis copiose ostendimus, ea qui habere posset, magistratus nullus esset? forte (tale enim aliquid est cogitandum) habuisset ea prætor; forte, pontifex maximus, pene dixi. sed, hoc fieri non potuisse, in mentem uenit: cum, qui pontifex maximus erat, M. Lepidus, is in urbe non esset . In alterum annum] ut Cicero filius adesse posset . Quanquam] quanquam ex litteris meis cognoscere potuit, non esse, cur petitionis suæ causa rediret, cum in alterum annum comitia sint reiecta. ep. 9. Domitii, Catonis, Lentuli, Bibulorum:] qui erant in castris Bruti, & in collegium pontificum minorum cooptari cupiebant, neque tamē ad petitionem mature satis uenire poterant: ideo, ut præsentem petere possent, in alterum annum comitia protulerat . De Domitio et Catone ante diximus . Lentulum non opinor eius Lentuli filium fuisse, qui Spinther dictus est, et consul Ciceronem ab exilio reuocauit . nam is hoc tempore Asiam prouinciam regebat, ut est ex ipsius epistola satis apertum, fam. lib. XI I. itaque priuatus esse in castris Bruti non poterat . De Bibulis quoque supra, ep. XI. Susceptus,] genitus . unde,

*fuscipere liberos ex aliqua , pro gignere . Lepi-
di ,] quia se cum Antonio coniunxerat . Opti-
mus ,] optime in remp. animatus . ut ad mentem
potius , quàm ad vires , referatur . Infecti par-
tibus ,] quòd alij cum alijs sentiant : quod eos ui-
tium , quasi labes aliqua , inficit , atque contami-
nat . Non dum erat .] &c. non enim scripsisses
Ciceronem meum a te discessurum . Cum Planco
coniunctum] Plancus tamen paullo post , cum
Antonio societate inita , reipublicæ causam dese-
ruit . Idibus Martiis :] quo die Cæsarem in curia
Pompeia occisum ita notum est , ut superuacanea si-
gnificatio sit .*

E P I S T O L A X I X .

V B T I L I V S] *subtilitas in scriptis*

S *est , non tenuitas , & humilitas , sed accu-
ratus quidam ordo , nihil ut prætermittatur .*

*Eloquentia :] fuit orator Messalla suæ eta-
tis præstantissimus . Plinius , & alij . Tacitus ui-
sum quibusdam Cicerone mitiorem , & dulciorem ,
& in uerbis magis elaboratum , significat in dialogo
de oratoribus , uitamq. produxisse in medium usque
Augusti principatum . Officio :] in remp. Se-
quebatur ,] cum ad causam reip. defendendam
proficisceretur , in quo summam laudem uidebat esse
constitutam . Quandam epistolam :] eam , cui-
us initium est , Quanta sim lætitia affectus , ep. 7 .*

Vtrun-



Vtrunque] quod & honores Octavianus extraor-
 dinarios decreuisset, & in Lepidum Lepidiq. libe-
 ros nimis grauem pœnam statuisset. quanquam,
 quod ad animaduersionem attinet, communiter e-
 tiam accipi potest de sententijs, quas contra malos
 ciues dixit. Neque solum ut Solonis dictum
 usurpem,] possem me iudicio Solonis, sapientissi-
 mi uiri, aduersus reprehensionem tuam defendere;
 qui premio, & pœna contineri remp. dixit: sed e-
 go non hoc solum faciam, ut meum factum Solonis
 auctoritate excusem: causam etiam adiungam con-
 siliij mei; ut ostendam, cum & de premio, & de
 pœna sententias dixi, quid spectauerim. Præter-
 missum] satellitem tyranni M. Antonium, sæ-
 pe queritur, simul cum tyranno interfectum non es-
 se. Vellem, inquit in epistola ad Trebonium, me
 ad illas epulas inuitalles: reliquiarum nihil habere
 mus. Inconstantior,] Lepidus, qui modo liber-
 tatis, modo regni cupidus uideretur. etiam ep. 14.
 leuitatem illi adscribit. Nimis acres.] cum
 omnes acceptam a uobis libertatem retinere uelle-
 mus; uos autem libertatis auctores (tacite Cassii et
 Bruti discessum ex Italia reprehendit) urbem ue-
 stram, Antonij armis oppressam, desereretis; qui
 etiam, Italiae sua uobis studia profitenti, remisistis.
 Mihi quoque ipsi] indicat se non fuisse discessu-
 rum, nisi Brutus & Cassius, quos maxime subsi-
 dium ferre oppressæ reip. oportuerat, ante discessu-
 sent, & duplicem affert pro se ipso defensionem,

tum quòd ipsorum liberatorum exemplo discesserit, tum quòd propere tamen redierit, qui discessum a recip. periculis ferre non posset. Etesiarum diebus auster] quasi discessum meum dii non probarent, qui etesiarum diebus austrum spirare præter consuetudinem uoluerint. etesiæ autem in orientem nauigantibus secundi sunt, auster in occidentem: itaque Ciceroni Græciam petenti prosperi etesiæ, contrarius auster. Te uidi] *Veliæ*. supra, & *Philippica* I. Sapientis.] Stoici, quorum sectam Brutus, ab auunculo suo M. Catone institutus, sequebatur, fugere negabant esse sapientis: quem nulla re perturbari, nihil timere affirmabant: ita sequebatur, ut nec fugeret: timet enim, qui fugit. A ceruicibus] cum Antonius, Macedonicis legionibus instructus, bonis iratus urbem peteret, Octavianus priuato consilio se opposuit. ep. 25. lib. XII. fam. & *Philippica* III. IV. V. Honorificum,] placeret, Nimis honorificum. Philippus] L. Marcius Philippus, qui consulatû gefit cum Marcellino, Octauiani uiricus. ep. 21. Celeritatem] magistratus, ut celerius posset petere, quàm leges permetterent. id autem Ser. Sulpicius decreuit. sed, cum ille decreuisset, ut Octauianus uerbi gratia decem annis celerius, quàm per leges liceret, petere posset; Isaurici filius Seruilius decreuit, ut etiam aliquanto celerius. quod autem Seruius decreuit, opinor hoc est, ut tanquam quæstorius petere posset Octavianus: quod Seruilius, ut tan-



Commentarius in lib. 1.

*tanquam pratorius . ep. 8. Reperimur] non
 omnino displiceret , reperiuntur ; ut est in antiquis
 libris . potest enim subaudiri , homines . Laren-
 tia] que populo Romano agros , Turacem , Sem-
 murium , Lincerium , & Solinium reliquit : ex
 quo est annuis parentationibus honorata . Varro ,
 Ouidius , Macrobius lib. 1 . Sat. Vos Pontifices]
 minores . quorum in collegio Brutus fuit : nam in
 lib. de claris orat. ita loquitur : Audiui Sulpicium
 studiose , et frequenter Sami ; cum ex eo , ius nostrum
 Pontificium , qua ex parte cum iure ciuili comun-
 etum esset , uellem scire . In uelabro] hic uide-
 tur de secunda potius Larentia , quam de priore ,
 accipiendum . uide Plutarchum in Romulo . Sem-
 piternam memoriam] ubi sunt , qui se libros
 impressos sine manuscriptorum ope facile putant
 posse corrigere ? hæc , hæc nimirum temeritas anti-
 quorū scripta maculis innumerabilibus inquinauit .
 neque uero dum repressum est hoc malum , sed in
 dies , ut uideo , serpit magis . id adeo ijs libris , qui
 quotidie typographorū quorundam ex officinis pro-
 deunt , legendis intelligo . Hic in duabus uocibus ,
 Sempiternam memoriam , me quoque hætenus , ut
 ingenue confitear , cum ceteris , νεφέλι ἐκάλυψε μέ-
 λαινα . nec dubitauī , quin ita recte legeretur , sensu
 satis aperto . nunc , a Bessarionis libro dictionem ,
 memoriam , cum uiderem abesse ; omissam primum
 incuria librarij sum opinatus ; deinde , cum accur-
 tius animum intenuissem , agnouī ueritatem , &
 memoriam ,*

*memoriam, abundare, prorsus iudicavi. quod a ne
mine fuerat animaduersum. & est pulcherrima sen-
tentia. ideo, inquit, decreui, ut in fastis ad eum
diem, quo uictus esset ad Mutinam. Antonius, Bru-
ti nomē adscriberetur; quia notam esse in fastis uole-
bam, quæ uictoriam illam futuris etiā gentibus
testaretur. notam enim hic pro signo, ac monumen-
to quodam accipio. quod quibus occultum fuit, in
memoriam, de suo intruserunt, ut esset, notam me-
moriam. confirmat igitur nostram correctionem
primum libri manuscripti auctoritas, deinde sen-
tenta; quam ego in hac emendandi ratione maxi-
me soleo spectare; postremo ipsemet Cicero, qui ea-
dem de re, paullo post, iisdem fere uerbis usus est.
infert enim: Extare uolebam in crudelissimos ho-
stes monumenta odij publici sempiterna. Aquila
etiam] unum ex percussoribus Cæsaris, qui
perierat in prælio Mutinensi. fam. l. x. ep. 33.*

*Aperiendum non est,] quid significat? hoc opi-
nor; ideo se id sensisse, non tam ut pro beneficio
gratiam referret, quàm ut Octavianus, ouationis
honore illectus, in urbem rediret, statimq., ut mos
erat, imperium deponeret: itaq. eius exercitus ad
alium transferrentur: quæ fuisset reip. summa cau-
tio. timendum enim erat, id quod euenit, ne Octa-
uianus, cum exercitus in sua potestate haberet, ad
persequendam patris mortem animum conuerter-
ret. hoc est, ut opinor, in quo se Cicero prouidum
fuisse significat. Hoc ipsum nimium] aperire*



Commentarius in lib. I.


nolebam, cur ita esset; aperuisse tamen nimis uideor; cum dixi, ne magis uidear prouidus fuisse, quàm gratus. quare hac de re uerbum ne addamus. transeamus ad alia. Honore] non est hæc dictio Bessarionis in libro: & potuit esse glossa. Themistoclis] qui prodicionis est damnatus, eiusq. bona publicata. Plutarchus, & Aemilius Probus. Iudicio] de ui. ep. 16. Quisquam] ex ijs, quos ego hostes iudicandos censui. Si uicisset] ad Mutinam. loquitur enim de M. Antonij seeta. Sororis tuæ filijs] Lepidi filijs: quos, cum pater Lepidus hostes esset iudicatus, bonisq. omnibus exutus, ad inopiam redactos necessarijs rebus sustentabat.

E P I S T O L A X X.

Nullis consulibus.

D E R E P.] ab eo contra M. Antonium defensa. Conditionis] pudet eò nos redactos conditionis, ac fortunæ, ut commendandos Octauio putes. Vel expone, conditionis tuæ, ac fortunæ, qui homo consularis, tantis rebus gestis, nunc cum isto puero tam suppliciter, tam demisse agas. Non perniciosior?] si precario habeatur. Quid pro quoque timendum] nam neque est, cur de nobis timidus aut sollicitus sis; cum ipsi nihil timeamus, & ita animati
simus,

simus , ut honestam mortem turpi uitæ antepona-
mus : neque hoc ab Octauiopetendum est , ut nos
uelit esse saluos : nimium enim illi tribuis . Si me
carum habes , uis Romæ uideri ;] ideo quia
me carum habes , uis Romæ uideri amicus Octauius ?
quoniam quidem , ut ibi esse possem , (hoc pertinet
ad illud , si me carum habes) commendandum illi
puero me putasti . Cui quid agis gratias ,] si
optime sentit de republica ; quod tu existimare uide
ris , cum illi gratias agis : cur eum rogas de salute
bonorum ciuium , hoc est nostra ? aut igitur gratiæ
non sunt agenda , si rogandus est : aut , si aguntur ,
rogandus certe non est . Vindici quidem &c.]
si Octauius uindex est , ut tu iudicas , & ultor domi
nationis Antonij , non , ut ego uereor , uicarius : ab-
surde facis , o Cicero , qui ei rep. defendenti suppli
ces pro ijs , qui optime de rep. meriti sunt . amicis
enim , & earundem partium studiosis non supplica
mus . non enim opus est . In hoc loco , uideo quibus-
dam in libris impressum esse , pro , ecquis supplicat ,
sed quis supplicat adscripta asterisci nota , quæ men
dum significet . nostri libri ueram germanamq. Cice
ronis scripturam referunt , distinctione tantum a
mendii suspicione uindicati . quod enim pro , et quis
supplicat , fecimus , ecquis supplicat ; in eo mutatio
nulla est . fuit enim hic multis in locis in impressis li
bris error , ut , & quis , pro , ecquis , legeretur .
quod uitium-ubique fere minimo negotio sanauim
us . Imbecillitas , & desperatio] puto illud .



Commentarius in lib. 1.

maxime tempus designari, cum Pompeius eiectus est ex Italia. quo tempore boni ciues si utrunque reliquissent, ac solam remp. respexissent: tum certe, uel pudore, uel ui, uterque tum dux, tum exercitus discessisset ab armis. sed contigit, ut alij alterum metuentes ad alterum confugerent; alij ignauia, ac desperatione remp. relinquerent. quo facto Caesar in regni cupiditatem est impulsus. quod idem & Pompeius cogitabat; ut saepe queritur Cicerone. Tantorum scelerum] tyrannidis Antonianæ. Quid enim neget] cum sit de præteritis commemoratio; negaret, probarem magis: idq. conueniret cum insequenti uerbo, uideret, & cum antecedentibus proximis, potuimus, uellemus.

Hic ipse puer,] non modo Antonius, sed Octavianus ipse, eius, quem occidimus, filius, summi beneficij loco ducet, si, nobis permittentibus, regiam potestatem obtineat. itaque nobis esset illo domino perhonorifica seruiendi condicio: uerum non de seruiendi condicione agimus: ipsam seruitutem, quæcunque sit, odimus, ac detestamur. Quoniam uiuere] in Ciceronem, cum stomacho, qui pluris uitam, & pecunias, & honores faceret, quàm libertatem. Si mortuo,] si, illo occiso, alteri seruituti eramus. Heredi eius, quem occidi,] Octauius, Caesaris heredi, & adoptiuo filio. Dimittimus] abijcimus. in ea uita, inquit, in qua neque dignitas, neque libertas est, salus esse nulla potest. Qui tyranni nomen asciuit sibi,]

bi,] *O*ctavius enim Cæsaris nomen assumpsit; cum testamento & filius adoptatus esset, & institutus ex dodrante heres. Nimum magnam mercedem statuis] summam potestatem illi tribuis: que merces est earum rerum, quas contra Antonium gessit, certe nimis magna. Illud malum] prioris Cæsaris tyrannidē. Homines metuunt] timor facit, ut quibusdam plus potestatis, quam respublica patitur, largiamur. sed ijdem meminisse deberemus, hoc ipso timore nostro factum esse, ut Antonius ad tantam potentiam peruenerit. ista enim imbecillitas animi, & desperatio, Antonio persuasit, ut interfecti Cæsaris locum occupare conaretur. De Cæsare uero] quorsum de Cæsare, cum de Antonio loquatur? Cum, inquit, uidisset Antonius ex metu & languore nostro Cæsarem regnandi occasionem arripuisse, eius exemplum secutus est. uerum, quod ad Cæsarem attinet, transactum est: occidimus illum: nunc, ne idem possit *O*ctavius, cauendum est. Non modo non supplicem] posterius, non, in Bessarionis libro non est: & potest subaudiri. quo loquendi genere usum sepe esse Ciceronem, ostendimus in scholijs, que in familiares epistolas adolescentuli edidimus. Virtus aliena] nostra scilicet, qui tyrannum occidimus: quorum exemplo fortiores esse, & uitam minus aliquanto, quam libertatem, diligere debebatis. Pietati meæ] erga patriam: que me ad proclarum illud facinus excitauit: cui pietati debitum

Commentarius in lib. I.

*præmium esse persolutum existimabo , si modo ,
 quod tum sensi , idem in reliqua uita sensero . Non
 succumbam succumbentibus ,] uos non imi-
 tabor , iugum seruitutis sponte recipientes . Nec
 uincar ab iis] uincerer enim a uobis , si uestra
 imbecillitas me commoueret , & de mea ueteri sen-
 tentia deduceret . Vinci uolunt] quia sponte suc-
 cumbunt . Gaudebimus omnes] etiam ij ,
 qui succumbunt . hic ostendit Ciceronem optime sen-
 tire de republica , cuius secunda fortuna lataturus
 sit , sed dulcedini succumbere . Neu diffidas]
 etenim , ob desperationem , etiam ante rempubli-
 cam perdiderant : ut in hac ipsa epistola , supra .
 Consul] in opprimenda coniuratione Catilinæ .
 Consularis] in Antonio persequendo . Quia
 ille consul] quia consulatus ille tuus præclarissi-
 me administratus postulat , ut talem te consularem
 præstes . Direxit] si pueris hæc scriberem , essem
 in ostendendis translationum luminibus diligentior ,
 ut hic in duobus uerbis , & translatis , & antithe-
 tis , Flexerit , Dixerit . sed hæc ipsa se ostendunt .
 nostrum autem consilium id fuit , quoniam pueris si-
 mul & uiris satisfacere non possem , uiris ut mal-
 lem . Iudicii ratio] ubi enim iudicium apparet ,
 ibi laus recte agentem sequitur . si quis autem casu
 potius , quam iudicio , recte agit , id amplum , ue-
 req. laudabile nec habetur , nec est . porro , iudi-
 cium ibi esse constat , ubi factis facta congruunt , per-
 petuamq. in recte agendo æquabilitatem & con-
 stantiam tuemur .*

E P I S T O L A X X I .

Nullis consulibus .

D **IS** VIS ACTIS] pro republica contra Antonium : de quibus laudari uoluisset : ut etiã de extincta coniuratione Catilinæ , scripsit ad Pompeiũ , se mirari , quod nihil significasset . fam. l. v. Quid dicam , imperite &c.] significat , & stultitiæ Ciceronem accusandum , & ambitionis : cum tamen in utroque uideatur eum excusare . sed imperitum in eo significat , quod plus Octauius tribuerit , quàm e rep . esset : ambitiosum , quod , modo habeat a quibus colatur , ac laudetur , seruitutem non recusat : ita ob stultitiam & ambitionem Octauiũ Antonianæ dominationis uicarium constituit . Qui ualentissimum &c.] in quo certe ambitio esse non potuit : sed fuit studium constantissimum , & singularis in patriam pietas , qua permotus ualentissimum Antonium suscipere non dubitauit inimicum . Pueri] Octauij . Indulgentiæ] usque eò indulget Cicero Octauius , ut maledicat Cascæ . Maledictis] in Cascæ . mirari autem satis non possum , Ciceronem Casaris necem obiecisse Cascæ . et id tamen Bruti uerba declarant . Plures occidit uno] crimini dat Cascæ , & sicarium appellat , quia Casarem occiderit . at , si hominem occidere , crimen est : quanto grauius ipse pe-

Commentarius in lib. I.

cavit, qui consul non unum, sed quinque occidit, Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, Ceparium. Obiiciat Cascæ] cur Cascæ potius, quam ceteris coniuratis? forte, quia gratificari uellet Octauius, potissimum in Cascam incenso, qui primus Cæsari uulnus inflixit, a Cimbro impedito. Suetonius, Plutarchus. Imitatur in Casca Bestiam.] ita reprehendit Cascam ob pulcherrimum factum, ut Bestia Ciceronem ob ea, quæ in consulatu gesserat, reprehendere solebat. et ut tunc iniquus in Ciceronem Bestia, sic nunc in Cascam Cicero. Casca autem hic e gente Seruilia fuerat, unus e percussoribus Cæsaris. fuerunt enim in illa coniuratione duo Seruilius Cascæ, duo Bruti, tres Cassii, Q. Hortensius, Hortensii oratoris filius, C. Trebonius, Cn. Domitius, L. Tillius Cimber, Q. Ligarius, Cornelius Cinna, Labeo, P. Turullius, P. Cornelius Lentulus, Cæcilius & Bucolianus fratres, Rubius Rex, M. Spurius, (quanquam, Spurius, mendosum est: non enim duo prænomina simul esse possunt) Ser. Sulpicius Galba, Sextius Naso, Pontius Aquila, Minutius Bassillus; & alij, quorum nomina in ijs libris, qui ad nostram ætatem peruenerunt, non extant: quorum nemo, præter Cn. Domitium, L. Domitij Ahenobarbi filium, naturali morte periit. quòd si liceret uti coniectura, adiungerem Torquatorum, Marcellorum, Metellorum, Bibuli liberos, Pompeianorum, id est reip. partium, studiosos: itē, Epidium Marullum, et collegam eius Cæsætium Flauium,

um, tribunatu pl. a Casare priuatos . Idus Martias] quo die Casarem occidimus . Nonas Decembris] quo die de coniuatis in carcere supplicium est sumptum . Eo meliore conditione] minus turpiter nos uituperabit de Casaris nece, quàm illum Calpurnius Bestia & P. Clodius de coniuatorum supplicio reprehendere soliti sunt; hic est Bestia, qui tribunus pl. Ciceronem extremo consulatus die concionis habende potestate priuauit; si Plutarcho credas . sed ego maiorem ipsi Ciceroni fidem habeo: qui sibi concionaturo non L. Calpurnium Bestiam, sed Q. Metellum Nepotem ait obstitisse . uide epist. 11. lib. v. fam. Successio] quæ laus Ciceronis est, sustinuisse Antonium; si patitur eius locum ab Octauiο posci? Auctor extitit] extraordinarijs enim honoribus Octauiο discernendis cupiditatem illius & licentiam irritauit . Non dominationem, non] hoc loquendi genere ueteres esse usos, cum aliquid paullo studiosius affirmarent, ostendimus in commentarijs ad Atticum lib. x. ep. 9. Rem ipsam] seruitutem . Triumphus] ouatio, quam Octauiο, quia Mutinensi prælio Antonium uicisset, Cicero decreuit . Fortunam] & condicionem turpem: ut illud in superiore proxima eiusdem Bruti epistola: Pudet conditionis ac fortunæ . Cuius nomen susceperit] cuius nomen his factis sibi comparauit . potest enim & turpissimus, & omnium miserimus iure dici . Consularis hoc] eius, qui sum-

Commentarius in lib. I.

summos habuit magistratus. Ciceronis] eius, qui maximas res pro patria gessit, artiumq. nobilissimarum cognitione excellit, et est uis in nomine, ut in epistola Sulpicij: Noli te obliuisci Ciceronem esse. hic multum discrepant ueteres libri a nostris. habent enim: Pudet concupiscere fortunam, cuius nomen susceperit consularis, ut Ciceronis est. quos si sequimur, ita exponemus. Pudor ab ea fortuna consularis hominis concupiscenda, cuius nomen susceperit, quemuis deterrere debet: ea, inquam, fortuna, quæ Ciceronis est. uidebitur omnino paullo durius: sed nec ubique dictio Bruti mollis est. Tibi necesse est molesta esse] cum uideas te quoque in Cicerone notari, qui nullam reip. partem suscipias, sed communi causæ tanquam indormias. quanquam ego te non reprehendo: tua enim alia causæ est. nam cum antea semper a rep. abstinuisti, tum uero hoc tempore ætas, mores, liberi segnem efficiunt. reprehendendo autem Ciceronem, quia, quod ab adolescentia præclarissime fecit, ut in patria iuuanda totus esset; id nunc, extrema fere ætate, turpiter omittit. Desperatam] excusat Atticum, in eodem errore cum Cicerone uersantem. non parcat autem Ciceroni; quia, cum non idem, quod Atticus, uitæ genus secutus esset, facere idem, quod Atticus, cum excusatione non poterat. Perspexi] ex ijs, quæ mihi Flavius, sibi a se responsa, narrauit, cum negasti te principem esse uel le priuati ararij Cæsaris intersectoribus constituen-

di . hac tota de re Nepos in Attici uita . Saluidentum ,] Q. Saluidentum Rufum , Octauii studiosissimum . Dio , Suetonius , Appianus . Decerneret] profligato enim Antonio , supplicationes Cicero decreuerat quinquaginta dierum , tribus reip. ducibus , Panse , Hirtio , qui consules erant , & Octauiano , quem etiam ante uictum Antonium extraordinarijs honoribus ornandum censuerat . de supplicationibus in Phil. xiv . de honoribus in v . Reliquias belli ciuilibus .] ob eam causam , inquit , Cicero ornat Octauium , quia timet etiam nunc ab Antonio . at illi timendum ab Octauio magis esset , qui & exercitibus ualet , & propter etatem facile potest ad temeritatem impelli , quam ab Antonio , qui iam profligatus uoluntate potius ad nocendum , quam uires , habebit . Amplitudinem] summam potentiam , cum uictores exercitus in eius manu sint . Id ipsum] regnum , & summam uenius potestatem . Ultima] extrema , et maxima . Referat omnia] quaecunque habet , Ciceroni omnia referat accepta . De dignitate ,] hac omnia scripsit , ut patrie libertas omnibus rebus anteponeretur . scripsit autem maxime in questionibus Tusculanis . & , De dignitate , in quo sita sit uera dignitas . De morte] contemnenda : cum tamen re ipsa aliter ostendat , cui mors , exsilium , et paupertas ultima in malis uidentur esse . nam , nisi ita esset , non id ageret , ut propitium haberet Octauium . Priuigno] Octauio . eius enim matrem

Commentarius in lib. 1.

Aciam, post obitum prioris uiri, uxorem duxerat Philippus. Gloriando] cum gloriaretur, plus beneficij a se in remp. esse collatum, quam ab ijs, qui Casarem occiderant: quoniam illi quasi radicem tyrannidis Antonium reliquissent, ipse Antonij bellum togatus sustinuisset, atque oppressisset. Dolores nostros] quos infectari & augere non deberet: cum satis ex eo doloris sit, quod, occiso tyranno, remp. tamen liberatam non uidemus. Quid enim nostra &c.] uide supra in hac ipsa epistola eandem sententiam alijs uerbis expressam. Dubia] non ita uictum esse Antonium, ut ab eo nihil timere possit respublica. Ut scribis,] fuit inter Atticum & M. Antonium amicitia, & quidem summa: Atticumq., uictis in Italia reip. partibus, de proscriptorum numero Antonius eximit. Non stomacharis,] ut ego. ideo autem non stomacharis, quia Ciceronis amantissimus es. quanquam ego quoque eiusdem amantissimus sum. persuade enim tibi, de ueteri meo erga illum amore nihil esse detractum, de iudicio multum. itaque & stomachor, nec tamen minus amo. Vel, Nunc stomacharis, ut est in antiquis libris. dicet enim hoc: Dolet mihi, quod tu nunc stomacharis ob ea, quae de amicissimo tuo Cicerone scripsi. De uoluntate] sumamus hic quidam a philosophis, ut sententia pateat illustrius. Amor in uoluntate est, opiniones in mente. uelle, nolle, in nostra potestate est: opinari, non est. quale enim quidque uidetur, talem de illo necesse est opinionem

nionem habeamus. ergo, cum uoluntas mea propria sit, iudicium non sit: laudandus uideor, qui, quod possum, & quod in me est, facio, ut Ciceronem amem; excusandus, qui de eo non optime iudicem; cum id a me necessitas quaedam, et quasi mentis imperium exprimat. Largiter] hoc aduerbium apud ueteres quandoque uim nominis habuit: itaque dixit Plancus, largiter acerbitatis, pro, multum acerbitatis, in concione, quam Pedianus recitat. et Plautus in Truculento, largiter uini: in Rudente, largiter argenti, largiter mercedis. Condiciones] Atticæ condiciones uocat, quia pertinebant ad Atticam Attici filiam: de qua, ut opinor, in matrimonio collocanda quiddam Atticus scripserat. Denique] extremum hoc est, quod ad tuas litteras respondeam. Sorores] ipsius Bruti; altera uxor M. Lepidi, altera C. Cassii. Hominem] nescio quem, litteris ab Attico & a Bruti sororibus commendatum.


EPISTOLA ULTIMA.

N EQVE id arbitrarer dubitare] idemq. arbitrarer sentire tuos necessarios. Matre tua] Catonis Vticensis sorore ueterina. nam, si fuisset ex eodem patre, non Seruilia, sed Porcia fuisset, cum feminae eius gentis nomine appellarentur, qua ex gente earum patres essent. Casca, & Labeo] duo ex percussoribus Cæsaris.

Commentarius in lib. I.

*saris. Plutarchus. Scaptius] duos Scaptios fa-
 miliares Brutus habuit. ep. 3. lib. VI. Fugien-
 tem hostem] Antonium ad Mutinam profliga-
 tum. Imperator] M. Aemilius Lepidus. Vo-
 bis affuibus] Bruto, & Cassio. nam ex duabus
 Bruti sororibus alteram Cassius, alteram Lepidus
 in matrimonio habebat. Quid dicam, in tan-
 to &c.] Adderem hoc, In tanto senatus populiq.
 consensu, nisi uiderem addi non uere posse, cum tan-
 tum resideat intra muros mali, multis Antonio fa-
 uentibus, multis etiam Octauium contra Caesaris
 percussores incitantibus. Accepisset uadem]
 nimium omnino pro Octauiano promisit, ac spon-
 dit Cicero, uel Antonij odio, contra quem Octauia-
 nus eo tempore bellum gerebat, uel ut ipsum studij,
 & amoris in eum sui testimonio ad tuendam rep-
 magis incitaret. nam cum ei summos honores sua sen-
 tentia decreuisset; exercitum ueteranorum subito
 præter spem omnium comparasset, impetus Anto-
 nij nefarios, ad Urbem cum exercitu irruentis, in
 Galliam auertisset: hæc subiunxit, quæ leguntur
 in Phil. V. Audebo etiam obligare fidem meam P.
 C. uobis, populoq. Romano; quod profecto, cum
 me nulla uis cozeret, facere non auderem; perti-
 mesceremque in re maxima periculosam opinio-
 nem temeritatis. promitto, recipio, spondeo, P. C.
 C. Caesare talem semper fore ciuem, qualis hodie sic
 qualemq. eum maxime uelle, & optare debemus.
 Falsi honoris] consulatus. ep. 14. & Plancus*

in epistola. Mea promissione] propter ea, quæ de illo reip. promiseram. operam enim dedi, ne promississe temere uiderer. Obdurescunt] Apertius esset, Obsurdescunt : ut sit, Obsurdescunt ad uocem tributi. quam coniecturam, non dubito, quin omnes paullo humaniore doctrina politi comprobent. similiter locutus est in Lælio. Cum tot signis, inquit, natura ostendat, quid uelit : obsurdescimus tamen nescio quo modo, nec ea, quæ ab ea monemur, audimus. Tributum autem recusabant boni uiri, quia, post deiectam a Paulo Macedoniam, nullum omnino tributum populus Romanus pependerat. de quo Ciceronis uerba subscripsimus. Omni, inquit lib. II. off. Macedonũ gaza potitus est Paulus : tantum in ærarium pecuniæ inuexit, ut unius imperatoris præd. finem attulerit tributorum. quod Plinius quoque lib. XXXIII. ep. 3. & Plutarchus in Paulo confirmat. Ex centesima] ut de centum nummis unus tribuatur singulis mensibus. Impudenti censu] in hoc enim impudentes sunt locupletes, quòd multo minus soluunt, quàm deberent. Præmiis] non stipendijs, sed præmijs ante uictoriam promissis : in quæ haud paullo plus pecuniæ, quàm in stipendia, erogabatur. Ornatus] instructus pecunia. & sane ad cogendas pecunias aptior erat Cassius, qui etiam auaritiæ nomine male audiit. Plutarchus in Bruto, & ep. 10. lib. VIIII. fam. Dum scriberes] dum eos mihi commendares. consulebam illis iam antea diligenter.



Commentarius in lib. I.

ter. ep. 20. Integram tibi causam refer-
 uant.] uideo fieri posse, ut tu eos è numero ho-
 stium eximas, nam si te absente bellum in Italia con-
 tra improbos ciues susceptum conficeretur; prodesse
 illis nihil posses. cum uero bellum ducatur; satis ma-
 ture poteris cum exercitu tuo in Italiam uenire, et
 his malis unus ipse finem imponere. quo beneficio af-
 fecta respublica nihil tibi petenti denegabit. itaque
 ipsa tempora integram tibi causam puerorum refer-
 uant, ut possis illis consulere. exitus enim huius bel-
 li in aduentum tuum differetur. Cum diuinare
 &c.] feci eorum causa, quæ potui, magis quia te
 ipsum diligo, quàm quia fore putarem, ut tuo exer-
 citusq. tui auxilio egeremus. præter amicitiam no-
 stram nihil spectauit. A principio ita causam
 egi] cum de Lepido, eiusq. filijs ageretur, distin-
 gui filiorum causam a patris causa uolebam.



49

P A V L I M A N V T I I
commentarius in primum
librum Ciceronis
epistolarum ad Quinctum fratrem.

A R G V M E N T V M .

M O R A L I S admodum est hæc
epistola : & cum ad unum Q. Ci
ceronem scripta sit, omnibus ta
men prouinciarum , aut ciuita
tum rectoribus norma quædam & bene a
gendi regula esse potest . Est autem totum
eius argumentum , admonitio . nam hanc
unam ob caussam scribit ad Quinctum fra
trem, ut ei proponat ea , quæ si faciat , ho
nori suo præclare consulat . ea porro diui
ditur in laudem, uituperationem, cohorta
tionem: laudem, quia, ut ipse scripsit in epi
stola, opinor, ad Trebonium , multum re
fert, si laudes eum, quem cohortere : uitu
perationem , quia dissuadendi locus est o
ptimus , cum turpitudinem ostendimus :
cohortationem, ut eius, qui admonet, pro
penfa quædam ad eius, qui admonetur, lau
dem uoluntas ac studium declaretur . Lau
dat Cicero Quinctum a fortitudine, sapien
tia, humanitate, continentia, integritate,

G &

Commentarius in lib. I.

& usu rerum gerendarum: uituperat ab iracundia, obiecta illi ab omnibus fere, qui e Græcia Romam proficiscebantur. Hortatur primum, ut æquo animo ferat annuam imperii accessionem: & in sustinendo negotio facilitatem ostendit, cum dicat, obuenisse illi imperiū nullis fere fortunæ motibus expositum, sed quod uirtute & animi moderatione facillime possit administrari: deinde, ut suis tantum committat, quantam in unoquoque fidem esse cognouerit: postremo, ne aures præbeat falsa dicentibus; ne quid iniustum ad aliorum arbitrium annulo signet; accensum quem diligit, animaduertat; ne quid insolens licitor faciat; caueat ab assentatoribus; cum seueritate regat seruos; ne quid, quod ad imperium suum, uel ad remp. attineat, seruis etiam fidelibus committat: sit ipse integer & continens; det operam, ut in omnibus, quos secum habebit, sit pudor: familiaritate prouincialium, & Græcorum percaute & diligenter utatur; disciplinam adhibeat regendæ familiæ grauem, & constantem; facilis sit in audiendo, lenis in discernendo, diligens in satisfaciendo, ac disputando: omnibus, quibus præest, utilitatem afferat: ius æquabiliter & diligenter dicat; curetq. ut idem faciant ii, quibus

bus aliquam partem eius muneris concesserit: constantiam & grauitatem adhibeat, quæ non solum gratiæ, uerum etiam suspicioni resistat; linguam in iracundia contineat; in tuendis honoribus, quos adeptus est, operam ponat; quandoquidem esset in iis ciuitatibus cum imperio & potestate, in quibus uirtutes suas consecratas, & in deorum numero collocatas uidebat. Hæc ad argumentum. Quod ad prouinciam; præerat Quintus propratore Asiæ, quæ minor dicitur; quæ ab ortu solis Lycaonia & Phrygia, ab occasu Aegeo mari, a meridie Aegyptio pelago, a Septentrione Paphlagonia terminatur. cumq. prouinciarum administratio annua fere esset; præfuit tamen per triennium, successorem senatu non mittente; sicuti & Siciliæ per triennium præfuerat Verres. prætor autem sæpe in hac epistola Quintus nominatur; quod ii, qui prætura functi in prouincias mitterentur, & propratores, & prætores appellabantur, quandoque etiam proconsules. itaque Suetonius in Augusto, Exrant, inquit, M. Ciceronis epistolæ, quibus Quintum fratrem, parum secunda fama proconsulatum Asiæ administrantem, hortatur, & monet, imitetur in promerendis sociis uicinum suum Octauium. et

Commentarius in lib. I.

libro v. epistolarum, quæ familiarium nomine significantur, epistolæ leguntur, Q. Metelli proconsulis titulo inscriptæ; cum is ex prætura in prouinciam missus esset: & Suetonius Cæsarem, cum ex prætura Hispaniam sortitus esset, proconsulem appellat. neque solum, qui consules non fuerant, proconsules tamen uocabantur; sed contra etiam, qui consules fuerant, prætores in prouincia dicebantur. itaque in iisdem epistolis libro II. Quod ego, inquit, officio quæstorio te adductum reticere de prætore tuo non moleste ferebam. cum loquatur de M. Bibulo, qui consul fuerat cum C. Cæsare: quem rursus proconsulem appellat epistola prima, etiam tertia libri xv. De hoc copiosius in nostro commentario in epist. fam. lib. I. ep. I.



L. Afranio ,
 Q. Cæcilio Metello, Celere, COS.

E P I S T O L A I.

A CCESSISSE desiderio nostro,]
 A quo te absentem desideramus. nostro, re-
 ditus in urbem tui. In hunc autem annum,
 qui fuit Quinto in administranda Asia tertius, inci-
 dit exsilium M. Tullij: ut est lib. 3. ad Att. &
 hic ep. 3. A prætoribus] qui non tam Quinti,
 quàm sua ipsorum causa, contendebant; ut, Quin-
 to decedente, eorum aliquis ad regendam Asiam
 mitteretur. Non nullorum negotiatorum]
 quorum inhonestæ cupiditati obuiam eundum cen-
 serem. uide infra, hac ipsa epistola. Nos sum-
 ma necessitudine attingunt,] non solum,
 quia publicani equites erant, & ex equestri fami-
 lia natus erat Cicero; sed etiam, quia ordinem e-
 questrem semper defenderat, atque ornauerat, ad
 Atticum lib. 1. & oratione IV. in Catilinam. No-
 stri consulatus beneficio] quia, nisi ego con-
 iurationem Catilinae consul oppressissem, impetus
 in omnium fortunas esset factus. Græci qui-
 dem] ipsi socij. prouinciam enim diuisit in duo ge-
 nera, socios, & ciues: rursus ciues in duas species,
 publicanos, & negotiatores. infra, hac ipsa episto-
 la. Græcos autem appellat Asianos, quia tum fe-
 batur

Commentarius in lib. I.

*re totus ille terrarum tractus Græco sermone utebatur : itaque M. Cælius in quadam ad Ciceronem epistola Græcas pantheras uocat , quæ in Cilicia capiébantur . Non itineribus tuis perterreri homines] cum alij pro consulibus , quacunque i-
 rent , socios expilarent . quo nomine Appium accusauit lib. VI. ad Att. Noster cum animo] Bessarionis liber : noster & cum animo . forte , noster est . Quem fors dedit] sorte quæstores prouinciarum rectoribus dabantur . fam. lib. 2. ep. ultima . & in diuinatione , & alibi sæpe . Quoad per se negligeret] in priuatis rebus , quæ ad ipsum duntaxat pertineant : in ijs uero , quæ ad tuam dignitatem spectant , ferre te nollem . Comites , & adiutores] ut legatos , & quæstorem . Finibus ijs] duntaxat in ijs rebus , quæ ad tuam dignitatem pertineant . nam in ijs , quæ ad ipsos priuatim pertinent , feras . Quasi ex cohorte prætoris] non dicit , ex cohorte , sed , quasi ex cohorte : quòd in ea paullo nobiliores homines essent . nam accensi , ministri erant ; cohors prætoria , comites consulares , ut exponit Pedianus in 11. Verri-
 rina . Horum non modo facta , sed etiam dicta] cur horum potius , quàm eorum , quos resp. comites dedit ? quia , quos ipsi probauimus , & delegimus , ij quacunque in re peccauerint , non tam ipsis , quàm nobis , adscribitur . Liberalitas] rectius , ut opinor , in Bessarionis libro , libertas . solent enim , qui minime fraudulentisunt , ex ingenio*

nio suo ceteros pendere. Non ut uas aliquod,]
 quod assidue circumfertur. sed uide, quibus illum
 tradas, ne quis, accepta pecunia, figuet ea, que
 tu non probares. Minister] ne quis eo, quoties
 uelit, uti possit. Et fortasse hic tacite Statium liber-
 tum designat. de quo uide ep. 2. Eo etiam nu-
 mero] è numero bonorum uirorum: quales eos
 maiores nostri esse uoluerunt; qui libertis in hoc u-
 tebantur, ut ijs imperare, et bene agendi leges im-
 ponere facilius possent. Accensus autem nomen or-
 dinis fuit, & promotionis in militia, ut Pediani
 uerbis uir. Offenderis] offensionem aliquam
 acceperis. sic locutus est Luceius in epistola ad Cice-
 ronem libro v. fam. et Cæs. comm. de bel. ci. lib. 11.
 & in Verrem. Ex eo genere hominum,]
 provinciales homines auaritiæ notat. Qui pecu-
 niæ,] hoc non ab ijs uerbis pendet, Ex eo genere
 hominum. nam si ita esset; ex ijsdem uerbis illud
 quoque penderet, Te autem, alienum hominem,
 ament ex animo. ita, quò spectarent ea uerba, qui
 potes reperire, prorsus non esset. quare ego sic to-
 tam sententiam dispono. Ex eo genere hominum;
 ex provincialibus inquam, qui potes reperire;
 qui & pecuniæ cupiditate adducti careant ijs, quæ
 a nobis coluntur, uirtutibus, & te, hominem alie-
 num, ament ex animo, ac non sui commodi causa
 simulent? mihi quidem difficile in primis uidetur.
 itaque cauendæ sunt eorum familiaritates. Iis re-
 bus] ijs uirtutibus, ut humanitate, & continen-

Commentarius in lib. I.

*tia . Prætores semper omnes] quod est simulationis indicium . nam si essent natura boni , & ad humanitatem propensi , nam tam prætores , quam priuatos homines , amarent . Quàm temporis] qui te ipsum potius , quàm temporis causa , diligant . E Græcis ipsis] locutus enim hætenus est de negotiatoribus , qui quæstus causa in prouincijs uiuunt . Sic uero] sed , uti nunc sunt , fallaces plerique sunt . nam uetus Græcia bonos per multos habebat . Et inuident] sic in omnibus impressis libris , præter eos , qui postremi ex adibus nostris , multis partibus meliores facti , prodierunt . occasionem nobis attulit coniecturæ Bessario nis liber : in quo scriptum cum uideremus , Et non inuident , facile tum ex emendandi uetere consuetudine , tum ex latini sermonis obseruatione sumus adducti , ut , ubi , non , legebatur , reponendum putaremus , uero , mutatione nulla : ut facile , qui libros manuscriptos cum impressis conferre soliti sunt , iudicabunt . quo ex numero Faernus meus excellit ; qui singularem optimarum disciplinarum scientiam eximia huius quoque generis laude cumu lauit . Non enim audent] nam aperte nobis aduersari non audent , quamuis male animati sint , sed occulte obtrectant . Tralleis , an Formias] Tralles in Caria , quæ est in Asia minore , quam Quintus regebat : Formiæ in Campania . Sustinere] defendere , & tueri . nam alioqui summa seueritas in eo prætore posset reprehendi , cuius ui-
tam*

tam labes aliqua turpitudinis & improbitatis infereret. Inhonestissimam cupiditatem] erant enim negotiatores, quorum cupiditas & impudentia esset pœna coercenda. itaque dixit supra, Dum sociorum saluti consulo, dum impudentiæ non nullorum negotiatorum resisto, supra, hac ipsa epistola. Ne uarietur gratia] dum eadem sit seueritas in omnes: ne cui gratificans aliud alio tempore decernas. Sustineri] totum hoc, quidquid est oneris, iurisdictionis est. Lenitas in differendo] edicta sunt, ex quibus toto anno ius dicitur, decreta, quæ in singulis interponuntur causis.

Satisfaciendo, ac disputando] satisfacit iudex duobus modis, primum, cum litigantes facile ac libenter audit; deinde, cum eos, aduersus quos sententiam dederit, uultu & uerbis ita mulcet, et quasi consolatur, ut irati prorsus maleq. animati non discedant. hoc alterum genus hic intelligit Cicero, nam, quod ad audiendi facilitatem attinet, id primo loco iam posuit. Disputando, autem] mendosum puto. non enim disputare prætor dicitur. Cic. in Partitionibus: Nā aut auscultator est modo, qui audit, aut disceptator, id est rei, sententiæq. moderator. ex quo suspicor legēdū, Disceptando. Cn. Octavius] hic est, opinor, de quo infra ep. 2. qui fuit Augusti pater; & Macedoniam rexit, quæ Quinti provinciam attingebat. uidetur autem Cato potius, quàm Cneo, prænomen ei fuisse. uide, quæ notauimus in ad Atticum

Commentarius in lib. 1.

lib. 11. ut omittam, quòd infra, ep. 2. Bessarianis liber habet G. Octavius, corrupta quidem littera, sed qua tamen librarius Caium significare uoluerit. Primus lictor quieuit] antea, Primus lictor qui fuit. uerum neque magna mutatio est inter F et E: et erit aperta sententia: ut sit, Quieuit, dicendi locum unicuique concessit: cum aliorum pratorum lictores obstrepere solerent, et silentium dicentibus imperare. Sequor autem in hoc meam consuetudinem libenter, ut, quid a quoque acceperim, confitear. nam, cum Romæ adulescens admodum essem, anno M. D. XXXV. Octavius Pantagathus, uir eiusmodi, cuius assequi uirtutes nulli satis laudatione possum, amicis aliquot, quorum in numerum me quoque proximis superioribus diebus humanissime receperat, locum hunc ita esse emendandum indicauit. postea uero Ferrariæ, cum has epistolas cum Benedicto Accolto, Cardinali Ciceronianæ eloquentiæ studio sissimo, subsiciuarum horarum temporibus percurreret; renouatam memini, et ab utroque confirmatam eandem huius loci correctionem. itaque sua manu in eo, quo tunc utebatur, libro Accoltus perscripsit. Tueretur] propter hanc lenitatem excusabatur illa seueritas, quòd ab eo cogebantur Syllani homines etc. Grata Romæ est,] in ijs, qui Romæ magistratum gerunt. Vbi tanta arrogantia] duabus de caussis lenitatem in magistratibus urbanis ualde laudari, mirum est;

et quòd in summa hominum arrogantia uix agnos-
 citur lenitas; & quòd iniuriosus esse magistratus
 impune non potest; quoniam acerbius tractati,
 aliorum magistratum auxilium implorant, maio-
 rem potestatem contra minorem appellantes: ut
 eo minoris aestimanda lenitas uideatur, quoniam
 contra acerbiter & iniurias tot magistratus,
 tot auxilia sunt. quòd si, ubi tanta arrogantia est,
 ubi tot auxilia, tamen & grata est, & plurimi
 aestimatur lenitas: quanto magis in prouincia? in
 qua & c. Nulla conuestio,] ubi de magistra-
 tu queri nemo potest. non est enim, ut Romæ, ad
 quem confugiat, quem appellet. Nec tamen dis-
 pliceret, uel placeret potius, Nulla quaestio: ut
 de iudicijs accipiatur; ad quæ contra magistratum
 iniurias in urbe appellatio est. sic triplex auxilium
 erit, iudicia, senatus, populus. Cyrus ille] is,
 cuius morientis orationem ad filios de animorum
 immortalitate recitat Cicero in libro de senectute.
 Non ad historię fidem scriptus] hoc exem-
 plum non ob eam causam Cicero attulit, ut osten-
 deret, Cyrum esse a Xenophonte scriptum; sed ut
 ex eius institutis argumentum caperet, prouincia-
 rum rectoribus grauitatem esse cum humanitate
 iungendam. nam si ea sic ille coluit, qui priuatus
 futurus nunquam fuit; quoniam modo, & c. Opi-
 nor igitur, non terminari sententiam in uerbo, scri-
 ptus, nec subaudiri, est; quod non nulli putant:
 sed pendere, donec excipitur ab illa parte, Ea q.
 si



Commentarius in lib. I.

*si sic coluit ille . ut sit, quod Græci ἀνακόλουθον νο-
 cant . quale illud est in Tusculana secunda. Etenim
 si orationes , quas nos multitudinis iudicio proba-
 ri uolebamus , (popularis est enim illa facultas ,
 & effectus eloquentiæ est audientium approba-
 tio) sed si reperiebantur non nulli , qui nihil lau-
 darent , nisi quod imitari se posse confiderent , & c.
 similia notauimus & apud Græcos multa . No-
 ster ille] a nobis celebratus in libris de rep. in-
 fra , lib. III. & ad Atticum lib. IIII. & VI.
 & VII. & X. Ad quas reuertendum] a
 quibus legibus imperium in alios accepimus , is-
 dem , cum in urbem reuerterimus , nobis priuatis
 parendum erit . Liberatas urbes] placet po-
 tius , uerbum , liberatas , ad ciuitates referri , quàm
 coniungi cum sequentibus . non enim , cum eadem
 de re , de ære , inquam , alieno , Cicero loqueretur ,
 ciuitates & urbes dixisset ; cum aliud ciuitas sit ,
 aliud urbs . quod facile declarat illud in epistola ad
 Dolabellam : Liberasti & urbem periculo , & ciui-
 tatem metu . item hic , ut a ciuibus ædificia distin-
 guat , ciuitates ait ære alieno liberatas ; urbes au-
 tem , quæ dirutæ fuerant , ac pæne desertæ , per
 Quintum esse recreatas . Samum , & Halycar-
 nassium ,] Samum Ioniæ , Halycarnassium Car-
 riæ , quæ fuit Herodoti patria , & Dionysii , eius ,
 cuius extat de rebus Romanis uberrima , eademq̃ .
 certissima historia . Calumniam] fuerant enim
 quidam prætores in prouincia usque eò auaritia
 fuit .*

perditi, ut accusatores locupletum ipsi compararent, atque instruerent: quo maximos ex eorum condemnatione quæstus facerent. qualis Verres fuit. Ab omnibus qui earum ciuitatum fines incolant,] non satis fuisse ab ipsis ciuitatibus; sed dixit, ab omnibus plane, qui fines earum incolunt. nam plerunque ciuitates imposta tributa in homines oppidanos atque agrestes ita transferunt, ut tolerari uix possint. opinor autem, ciuitatum glossema fuisse. Aediliciorum,] ædiles enim ad suos ludos imperare prouincijs pecunias solebant. Nostrum] non cum Quinto commune, sed Marci proprium: quod infra patet. Ciuitates] Asiæ. Magnis meis meritis,] quibus Asiam prouinciam affeceram. Tuis] in isto imperio, quod tibi nunc est in tertium annum prorogatum. Lex] de repetundis; quæ sanciebat, ne cui aut capere pecunias liceret, aut conciliare, quod patet ex lib. VI. ad Att. & in Verrem. Quibus nec deberetur,] perspicuum est ædiles significari. Ei generi hominum] Græcis. Consecratas] hoc dicit, quia iustitiæ ceterarumq. uirtutum templa erant in Græcia. De nobis optime meritum,] erant enim publicani ex ordine equestri, & Catilinæ coniurationis temporibus equites consuli Ciceroni assidue cum gladijs astiterant. pro Sextio, & post reditum in senatu, & I. in Catilinam. Per nos] uide orationem IV. in Catilinam. Eos perire] Asiæ ciuitates:

Commentarius in lib. I.

uitates: quas publicani ueſtigalibus acerbe nimirum uexabant. Vltimis terris] non orbis ultimi, nec imperij Romani, ſed admodum remotis. Publicis male redemptis,] ideo uideris publicanis ſatisfacere uix poſſe, quoniam publica nimirum magno conduxerunt: ut ob eam cauſſam acerbius a ſocijs exigere cogantur; neque tu tantum illis poſſis concedere, quo non plus poſtulent, atque eſt flagitent. Sine publicano] ipſæ enim per ſe ciuitates non facile ad colligendum ueſtigal adducuntur, niſi ſit, qui præcipuam huius muneris curam gerat, & ſuo periculo a ſocijs exigat. quod faciebat publicanus. Aequaliter] quo facilius ſine publicano exigere uidebatur poſſe. Sylla deſcripſerat.] id fuiſſe talentorum xx millia, et, cum duplum mutuantibus publicanis Aſiani ſe eſſe reddituros promitterent, facta eſſe c. & xx millia, tradidit Plutarchus in Lucullo. Caunii,] pars prouinciæ Quinæ: ſunt enim in Caria, et Caria in Aſia minore. Rhodijs Attributæ] quo beneficio eſt forte, quia Norbanum, Sylla repetente, reddendum cenſuerunt. Genus ipſum,] ueſtigal. Reliqua] ut publicanorum exactio. Non legem ſpectare cenſoriam,] quæ in pactionibus faciendis conſuleret prouincialibus potius, quam publicanis. qua de cauſſa, cum pactiones facere cum prouincialibus publicani ex lege cenſoria, utpote in ipſos iniquiore, omnino reuſarent; poſſunt, inquit Cicero, prouinciales quo

quo

quo modo pactiones facere cum publicanis, etiam si non ijs plane condicionibus, quæ sunt a censoribus in uectigalium locatione constituta; ut scilicet negotium aliquando consiciant, & ea molestia liberentur, quam capiunt, cum se a publicanis quotidie appellari atque urgeri uident. Et est a paru- multis fortasse animaduersum, legem censoriam hoc in loco, non re uera pro lege ad populum lata, sed pro locatione ipsa, usurpatam. censores enim ferendarum legum ius non habebant. cur autem non haberent, diximus in libro de legibus. Censoriam] de uectigalibus; quorum locandorum cura penes censores erat. quidquid autem publica- ris provinciales debebant, id uectigalium erat no- mine contractum. Commoditatem] quid e- rum commodius, quam ære alieno liberari, nec, ut ante, usuris exhauriri? Sed & ab iis] una in re duo monet fratrem; primum, ut, qua ualet gratia, atque auctoritate, ea cum Græcis publica nos coniungat; cum ita dicat, summam esse in pu- blicanorum ordine dignitatem; ei se plurimum de- bere: deinde, non ut iam gratia, aut auctoritate cum provincialibus agat, sed ab ijs pro eo, quan- tum ei debent, quod plurimum est, petat, ut hoc ei de ipsis optime merito, quasi mercedis loco, re- tribuant, ne quid aspere nimium, aut acerbe con- trarem aut uoluntatem publicanorum decernat. Commodiorem] suauiore, ac faciliorem. Societates] publicanorum: erat enim in plu-



Commentarius in lib. 1.

res societates dissipati . fam. 207: Idem faciunt Græci .] quod argumento est , tua prudentia factum esse , ut inter eos conueniat . Prope natura] ut ignis & aqua , sic fere diuersi esse uidentur publicani et socij ; quòd publicani suum commodum sine sociorum incommodo curare non possunt . quos tu tamen , inquit , amore & beneuolentia coniunxisti . A doctissimis hominibus] Aristotele in ethicis maxime , Platone in Philabo , & in IIII. de rep. Res ipsa , ac fortuna] Res ; quia patre nati equite Romano , Romæ uiuentes , litteris a pueritia exculi , quid aliud ageremus , non erat . contulimus igitur nos ad remp. non tam studio gloriæ , quàm quòd genus illud uitæ nobis potissimum conueniret : ut ipsa res , status quidam , & condicio rerum nostrarum deducere nos in hanc uitæ rationem uideretur . Fortuna] quia potuit ea nos ad aliud uitæ genus impellere . tres enim causas attingit Cicero , cupiditatē gloriæ , rem ipsam , fortunam : recte : nam priores duas , nisi accedat tertia , infirmas experimur . posset ita loqui , si quis casu in uia inimico occurrens , petitis ab eo primum uerbis contumeliose , deinde gladio cum periculo uitæ , uim ui repellere dum uult , eum interficiat . dicit enim ad eleuandam culpam : Me non tam odium , aut ueteres inimicitia , quàm res ipsa ac fortuna ad hoc facinus adduxit . nam , ut esset in me cupiditas , non erat occasio : neque uero cupiditas simul & occasio sa

eis ad perficiendam rem ualebant, nisi fortuna cū
 utraque consensisset. Vt te ante] notandum,
 particulam, ut, esse repetitam. quod alibi quo-
 que factū a Cicerone animaduertimus, ut Acad.
 l. 2. Vt, quoniam Aristippus, etc. libro etiam
 III. de Fin. ne illud quidem consentaneum est, ut;
 si &c. Lentitudinis] non solum, inquit, ut ne
 irascamur, grauitas facit; quod laudabile est; sed
 etiam lentitudo, hoc est, segnities quaedam naturæ,
 quā Græci dicunt ἀσύνεσιαν. in qua nō modo laus,
 sed uitium quoddam uidetur esse constitutum.

Theatrum est totius Asiæ] neque Est, neque
 Asiæ, Bessarionis habet liber. alter manuscri-
 ptus, Theatrum totius Asiæ uirtutibus est datum.
 ego ex hac uarietate legendum conijcio sic: Thea-
 trum tuis uirtutibus est datum. nam eo fidentius
 dictionem, Asiæ, tollo, quod abest a Bessarion-
 nis libro. in eo tantum muto, quod pro, totius,
 lego, tuis, ita postulante sententia. et opinor,
 cum ad dictionem, Theatrum, aliquis pro glossa
 adscripsisset, Asiæ, eamq. mox in Ciceronis uer-
 ba esset recepta, ut ita legeretur, Theatrum tuis
 Asiæ uirtutibus est datum, factum esse, Theatrum
 totius Asiæ, magnamq. inde perturbationem esse
 consecutam. Illa omnia] non modo talem ut
 uirum te præstiteris, qualem illa postulant, sed
 etiam præstantiorem. Mihi casus urbanam]
 casu accidit, ut ego in urbe, tu in prouincia temp.
 gereres. Proprie tamen in Quinto magis, quam



Commentarius in lib. I.

in Marco, casus nominatur. nam Quintus iuit in
 prouinciam, quòd, eundum ut esset, casus tulit:
 qui contra ferre potuisset, eundum ne esset. Mar-
 cus uero non casu non iuit in prouinciam, sed uo-
 luntate, et consilio. prouinciam enim deposuerat;
 ut ipse in epistolis ad Metellum, Catonem, Atti-
 cum scribit. Et si mea pars] abundare puto,
 Et. Elaborabis] Plane, et aperte, quod ad
 sententiam attinet; sed, quia nimium amamus
 antiquitatem, uisum est quod in Bessarionis libro
 uidimus, id notare. habet enim, Alaborabis. ut
 fortasse, allaborabis. usitatum est Horatio uer-
 bum. Quanquam illorum] non satis intelli-
 go, quid afferat ad sententiam uerbum, Quan-
 quam. mallem, Quoniam; uel, Nanque. Am-
 plissimis monumentis] scriptis annalibus, de
 quibus ad Att. lib. II. Tertius actus] Quin-
 tus, non tertius, extremus in comædijs est actus:
 isq. perfectior, & ornatior uidetur. hic tertium
 annum imperij, quasi ultimum actum in fabula
 accipit, quando in administratione prouinciæ ulti-
 mus est. sit, inquit, ita ultimus annus in prouin-
 cia perfectus, ut est ultimus actus in fabula.



E P I S T O L A I I .

C. Iulio Cæsare ,
M. Calpurnio Bibulo ,

C O S .

T A T I V S] *Quinti libertus, gratiosior*
 S *apud eum, quam deceret. Quòd ita*
scripsisti,] dubitationis quiddam subef-
se uidetur his uerbis. quasi dicat. Nisi tu ita scri-
psisses, aliter existimarem. Eodem illa uidentur
spektare, quæ, non multis interiectis uersibus, se-
quuntur: Quod prorsus credo; quoniam tu ita
iudicas. Direptum] quòd rem domesticam,
Statij studio ac fidelitate conseruari Quintus arbi-
traretur. Neque antea uisus esset,] ita
scripserat Quintus: Maxima fuisset Romæ exspe-
ctatio, maximus hominum còkursus in reditu meo,
talis, inquam, qualis nunquam uisus est, si Statius
una mecum de provincia decessisset, Romamq. ue-
nisset. itaque doleo illum sine me uenisse. Tu hoc
doles, respondet Marcus: ego lator: quæ enim
post eius reditum in re absentem coniecta sunt, ea
tu maiore cum dolore presens audisses, si tecum
Statius uenisset. exhaustus igitur te absente totus
est hominum sermo, & multæ eiusmodi uoces, ἀλλ'
αὐτὴ τὴν αἰὲν τὰ μέγαν: quæ emissæ iam sunt. Homeri
uersus est in Od. 1, de Ulyssæ a Polyphemo pronun-
tiatus: a quo tam pusillo, tamq. imbecillo miratur

Commentarius in lib. I.

se esse excæcatum: qui ex uaticinio Eurimedidis ab Ulyssæ quidē se id passurum, sed Ulyssæ aliquo magno ac formoso uiro, suspicabatur. uersus hi sunt integri:

Ἀλλ' αἰεὶ τίνα φῶτα μέγαν καὶ καλὸν ἐδέξιμην

Ἐνθάδ' ἐλάσσεισαι, μεγάλην ἐπιειμένον ἄλλην.

Νῦν δέ μ' ἐὼν ὀλίγος τε, καὶ ἐτιδανός, καὶ ἄκικυς

Ὀφθαλμῶ ἀλάωτον, ἐπεὶ μ' ἐδαμάσατο οἶνος.

Nunc, qua ratione horum uersuum sententia, de Ulyssæ & Polyphemo ab Homero prolata, ad Quinctum & ad Statium accommodari possit, ut certe egregie potest, consideremus. Per triennium iam Quinctus Asiam rexerat. scripta enim est epistola in exitu fere anni tertij. rationem eius administrationis fama iam nuntijq. Romam pertulerant: satisq. notum erat, omnibus in rebus eum uti consilio Statij liberti; quod Cicero modo occulte, modo aperte cōqueritur. exspectabant igitur homines liberti Statij aduentū in Urbem cum Quincto, quasi τινὰ φῶτα μέγαν; a quo prouinciam esse administratam, tanquam a proconsule, audissent: qui cū uenisset, quasi decepti, itidem ut Polyphemus, iisdem, quibus ille, uersibus errorem suum poterant indicare. Quæ igitur uoces, si cum Quincto Statius urbem esset ingressus, comedere fuissent; eas in unū Statium, absente Quincto, emissas, Cicero gaudet; idq. modeste significat, cum ait, Id mihi non incommode uisum est accidisse: ne offenderet animum Quincti, ad iracundiam propensi, & de Statio

tio optime existimantis. Protulisse?] cum diceret, se a te plurimi fieri. Quoniam tu ita iudicas:] de Statij fidelitate scripsit Quinctus et in ea epistola, qua manumissum Tironem gratulatus est his uerbis: Si enim mihi Statij fidelitas est tantæ uoluptati: quanti esse in isto hæc eadem bona debent, additis litteris, sermonibus, humanitate? Blaudenio,] ex urbe Blaudo, quæ est in Phrygia; non Blandenio, ut est in quibusdam libris. De hoc genere toto] cum ego tibi tam multos Græcos commendauerim. Ad fallendum] eos, apud quos queruntur. astuti enim & ingeniosi ad fingendum & persuadendum Græci sunt. Inimicissimi mei] feci tamen, ut, inimicitiarum ratione neglecta, eos in te lenirem. aut abundat, Mei, et subaudiendum, Tui: quod magis placeret: quasi præter ceteros Dionysipolitæ de Quincto que reretur. Hephæstum] in hac dictione ausus sum, contra meam consuetudinem, paulisper ab antiquis libris discedere. nam Ephæstum, pro Ephesium, repositui. cur enim dicat, Apamensem Ephesium, duarum ciuitatum nominibus coniunctis, unum hominem proprio, simulq. eius patriam uelit nominare, ut cum infert, Megaristum Antandrium, Niciam Smyrnæum, Nymphontem Colophonium? Nugas maximas] leuissimos infimæq. condiciori homines: qui nec nominandi sunt. Duo Myfos] ita scripsi, ut antiquitatem retineam. sic enim est in Bessarionis libro. sic & Virgilius locutus est:

Commentarius in lib. I.

„ Si duo præterea tales Idæa tulisset

„ Terra uiros .

Caecilium?] hi sunt homines Romani, qui in
prouincia Quincti negotiabantur. Sanari non
potest] quia tu in eum grauissime animaduerti-
sti. uide ep. I. Ecce supra caput] ecce præ-
ter eos, quos significauit, occurrit animo meo, &
quasi supra caput astat, a me nominandus Catienus.
Sordibus] obscuræ arti deditus, quæstum fortas-
se sordidis rebus curans. Equestri censu,]
non ex equestri ordine; cuius census erat quadrin-
genta millia nummum; sed eo censu, ut liceret ei
per domesticam rem equestrem adipisci dignitatem.
nam, quorum census infra quadringenta millia es-
set, ijs non licebat. Miluino] uidetur fuisse
Licinij seruulus, aut certe comes in rapinis hoc no-
mine. addit, Pullo, per iocum, ad rapacitatem
indicandam: quia miluij rapaces. Tributa]
quòd pecuniam quasi dominus imperaret, & mina-
citer exprimeret. quod præpotentes non nulli so-
lent. Dicendi sal facetiasq.] quòd acute di-
ctis multorum animos offenderet. Tuus uici-
nus] Macedoniae, quæ Asiae proxima adiacet,
prætoris: de quo ep. I. Interioribus uici-
nis] qui in ipsa Asia sunt, & aliquam prouincia
tuæ partem, a te demandatam, administrant.
Valde magnum] cum ironia. Quos no-
minauit] Virgilium, & Octauium intelligit. hos
enim duos nominauit: Cilicensis uero, Syriaciq. no-
mina

mina non posuit. Qui neque Cyrum] cum
 tamen litteris exculsi non sint. Agefilaum] La
 cedæmoniorum regem, qui in ore erat rhetorum de
 clamantium, ut ait Suidas. Inexorabilem]
 mallem, Exorabilem : ut, quia multis petentibus ja
 tis facere Quintus uoluerit, ideo scripserit iniquas,
 inusitatas, contrarias. Tolle] d. operam, ut colli
 gantur, & supprimantur. hoc paullo post dicit aper
 tius. Scriptas] ab ijs, qui eas a Quinto peti
 uissent, quas fuisse iniquas, inusitatas, contrarias,
 cum ijdem homines & peterent eas, & scriberent,
 mirum non est. Nullum delectum] cum om
 nes peræque litteras, quæ ad te afferebatur, obigna
 ri iuberes. Selectarum] quæ ante ipsius aduen
 tum annulo tuo fuissent obsignatæ. Varie] mul
 tis de rebus : in quibus, hoc quoque de genere quid
 sentirem, intelligere potuisti. Vide per ho
 mines amantes tui,] da negotium hominibus
 amantibus tui, ut tecum simul uideant, ne qua a
 te scribatur epistola aut iniqua, aut contraria, aut
 absurda, aut inusitata, aut denique in aliquem con
 tumeliosa. Sylla nomenclator] de ministris
 Quinti : a quo scriptam epistolam, Quinti. annu
 lo obsignatam, Cicero legerat, minime probandâ.
 Tempore ipso] oportune hac de epistolis, a te
 paullo consideratius scribendis. L. Flavius]
 Dio lib. xxxvii. nominat L. Flavium, Pom
 peij studiosissimum : qui tamen hic non est. nam ille
 tribunatum pl. gessit Afranio et Celere cos. ut etiâ

Commentarius in lib. I.

patet ex libro I. ad Atticum: hic autem, Pisone & Gabinio, præturam, anno tantum uno post Afranij et Celeris consulatum. non enim arbitror, anno post tribunatum pl. proximo quenquam potuisse prætorem designari. quòd si curulem ædilitatem omitti placuit: biennium tamen inter tribunatum & præturam oportuit intercedere. itaque Domitius, & Ancharius, cum tribunatum gessissent, post annum, omiſſa ædilitate præturam petierunt, & adepti sunt. uide orationem pro Sextio, & nostrum commentarium. de hoc autem Flauio, prætore designato, Dio libro XXXVIII. & Asconius in commentario orationis pro Milone. Si inficiatur?] deberi quidquam Fundanio. Prætor solet] prætor, ut in libro de legibus ostendimus, non iudicabat, sed ius dicebat. indicabant autem iudices a prætore dati, cum alijs de causis, tum etiam de ijs, in quibus, petita pecunia deberetur, nec ne, dijudicari oportebat. monet igitur Quinctum, contra consuetudinem eum fecisse, qui iudicauerit deberi. Remittas de diminuen- do,] permittas, ut de bonis Octauij diminuere possint. Amplius] hoc amplius te rogo, Flauij causa, & scilicet Pompeij, qui Flauio amicissimus est, facias omnia. Ex tua iniuria in illum] noli credere, me hac de re propterea tecum agere, quia liberalitatis laudem queram, ex eo factò, quod iniuriosum est. ego tuam iniuriam tolli uolo, existimationis tuæ causa: non id ago, ut uidear

uidear in Flanium liberalis. Relinquas] tem-
 pus enim decessionis appropinquabat; cum annuū
 prætoris imperium ultra Decembrem mensem non
 produceretur. Iuris, dignitatisq. retinens,]
 qui neque de re, neque de dignitate sua quidquam
 detrahi passurus est. Neque iure] cum iudi-
 care prætor non debueris, deberi. De pactio-
 ne] inter Græcos & publicanos a te facta. ep. 1.
 In eadem epistola] quam dixit se scripsisse ira-
 cundius. Grauiora] in te obiurgando. ὀρθάν τὴν
 ναῦν] fortasse dicit hoc: Rectum nauis cursum te-
 neamus: deinde, si res ita postulet, moriamur.
 quasi dicat: agamus, quod rectum est: reliqua om-
 nia cōtemnamus, et est eius obiurgationis, qua paul-
 lo grauiore usus erat, excusatio. uerba græca unde
 sumpsit, mihi quidem ignotum est. potuit a poe-
 ta mutuari; quod sæpe solet. Maiora ista e-
 runt.] an hoc? ista, quæ te moneo, quæ ad te,
 simulq. ad me pertinent, maioris erunt momenti,
 quàm illa, quorum causa ille protulit hæc uerba:
 ὀρθάν τὴν ναῦν ἀπαξ δευεῖν. sunt igitur eo nobis dili-
 gentius obseruanda. Quæ sunt non nulla,] hoc
 non ad ipsa uerba, quæ antecedunt, sed ad eorum
 sententiam accommodat. quæ, inquit, in te repre-
 hendi, sunt omnino aliqua, sed tamen mediocria,
 & parua potius. Sardianus] Sardis urbs in
 Lydia fuit. Deducas.] Romam. Qui iam
 nihil sit:] Non uideo, quò referatur particula,
 Iam: ac malim, Qui tam nihil sit: cum & seruus,
 &

Commentarius in lib. 1.

*& nequam seruus nihil omnino esse uideatur . ho-
mo nihil, ueteres dixisse, tradit Varro de analogia
lib. 11. Cato adolescens,] C. Cato, is,
qui triennio post tribunus pl. rogationem promulga-
uit de abrogando Lentulo imperio . fam. ep. 5. l. 1.
Concionem] ab aliquo magistratu datam, nam
alioqui, priuatus cum esset, concionari non potuis-
set. ad Atticum lib. 1111. Priuatus] cum a
consule dictator dici solet. Occideretur.]
hoc significant illa uerba Iulij Obsequentis : Pro-
pter Pompeij dictaturam ingens seditio in urbe fuit.
quod esse factum Cicerone & Antonio cos. imperi-
te falsoq. Obsequens tradidit : qui, cum & is, qui
scripsit epitomen Liuianam, & Dio, C. Antonium
a Dardanis fugatum Cæsare & Bibulo cos. signi-
ficent, Antonij calamitatem & Pompeij dictatu-
ram simul statuerit, titulumq. fecerit, ad an-
num indicandum, Cicerone & Antonio cos. No-
stræ causæ] si diem nobis Clodius dixerit, qui
nunc est tribunus pl. designatus. Et quidem,]
liber Bessarionis manuscriptus admodum a nostro
impresso discrepat : habet enim sic : Ut qui-
dam cum spe summa tum maiore etiam animo
sperent superiores fore nos confidunt animo &c.
Ex hac scriptura uidetur non magna mutatione
elici ueritas posse . optime enim cum sententia Ci-
ceronis congruet, si legatur sic : Ut quidam, cum
spe summa, tum maiore etiam animo, sperent,
superiores fore nos ; confidunt adeo, ut in hac
rep.*

rep. &c. In hac rep.] malim, in hac r. Ne
casum quidem ullum] ne fortuita quidem: que
tamen ideo videntur pertimescenda, quia non sunt
in potestate nostra. Dixit] ad populum, quod
ciues Romanos indicta causa contra legem *Im-*
proniam condemnari. Discedamus:] e iu-
dicio. Horum regum] Pompeii, Cæsaris con-
sulis, Crassi, qui perniciosam reip. societatem in-
uerant. sic ad Atticum lib. 11: Mirandum u-
modum reges odisse superbos. et eodem lib. Ho-
uero regnum esse, ferri nullo pacto potest. et ibi-
dem: Nec iam ipsi agri regnum uestrum ferre pos-
sunt. Cæsar] consul: qui Clodium iam ad ple-
bem traduxerat. De mea comparatione]
ita credo, ut nihilo me languidius comparem, ac-
muniam. tale illud lib. 11. harum epist. Pompe-
ius se comparat, homines ex agris accersit. Ciceronem
autem non admodum affirmanti Pompeio cre-
didisse, indicat illud ad Atticum libro 11. Alterum
facio, ut caueam: alterum, ut non credam, facere
non possum, et ibidem: Pompeius confirmat, eum
nihil esse facturum contra me. mihi periculosum
est credere. ad resistendum me paro. Amici]
omnes præter Clodium, hoc est, nouem: ex qui-
bus tamen, Cicerone in exsilium profecto, defluxit
unus; & octo duntaxat de reditu Ciceronis roga-
tionem promulgarunt. hinc illa in oratione pro
Sextio. De meo reditu octo tribuni promulgarunt.
nam ex nouem, quos tunc habueram, unus me ab-
sente

Commentarius in lib. I.

sente deluxit; qui cognomen sibi ex Aeliorum imaginus arripuit; quo magis nationis eius esse, quã generis, uideretur. Cuius loci sententiam in nostro in illam orationem cõmentario satis aperuimus. Consules] designati, Piso & Gabinius: quatenus se non, quales ostenderant, præstiterunt. Pætore] Hos quoque designatos. Domitium] L. Domitium Ahenobarbum, Caesaris inimicissimum; quem prætorem cum C. Memmio collega, quem hic Cicero nominat, de eius actis ad senatum retulisse, Suetonius prodidit. atque huius maxime prætoris metu cõsensisse Casarem cum P. Clodio tribuno pl. de Ciceronis exilio, facit illud, ut credam, quòd in oratione pro Sextio scriptum est his uerbis: Illi autem, aliquo tum timore perterriti, quòd acta illa, atque omnes res superioris anni labefactari a prætoribus putabant, tribunum popularem a se alienare nolebant; suaq. sibi propria esse pericula, quàm mea, loquebantur. Nigidium] P. Nigidium Figulum, Romanorum omnium, uno excepto M. Varrone, doctissimum, ad quem est epistola lib. I v. fam. Memmium] C. Memmium, eum, qui sacris Iuuentutis, quibus ipse præerat, M. Luculli uxorem, ut Cicero in ad Atticum epistola iocatur, initiauit, quiq. Cn. Pompeij uxorem, per Curtium Niciam grammaticum, codicillis de stupro sollicitauit: ut est in libro de claris grammaticis. Lentulum] non potest hic esse P.

Lent-

Lentulus Spinther, qui consul fuit anno proximo post Pisonem et Gabinium cos. distat autem biennio a consulatu prætura. Cn. Lentulum Marcellinum fuisse ne credam, eadem ratione adducor. gessit enim consulatum post Lentulum Spintherem. itaque prætore, Pisone & Gabinio cos. uno tantum inter præturam & consulatum anno interiecto, esse non potuit. Quid, si de L. Lentulo, flaminis filio, intelligatur? ne hoc quidem licet. repugnat enim historia. nam qui potest hoc anno, id est eo, quo Gabinius & Piso consules designati sunt, prætore ipse designatus esse, cum hoc anno consulatum cum Gabinio petierit? id quod in Vatiniana interrogatione Cicero significat his uerbis: L. Lentulum, hunc iudicem nostrum, flaminem Martialem; quod erat eo tempore Gabinij tui competitor. Fuisse igitur crediderim L. Lentulum Crus: qui cum C. Claudio Marcello aliquot post annis consulatum gessit. Sed ecce, cum aliud quærerem, locus in oratione in Pisonem de improviso nobis oblatus, in quo L. hic Lentulus prætore nominatur. Alios] quattuor reliquos prætore. erant enim omnino octo.



Commentarius in lib. I.

EPISTOLA II.

A. Gabinio,
L. Calpurnio Pisone,

C O S.

V I DERE noluerim] de provincia de-
dentem. Scripta est hæc epistola ab exsule
Cicerone . ad Att. l. 3 . Scilicet enim
tu me afflixisti] alij legunt : scilicet . tu enim me
afflixisti . non reprehendo . sed malo sequi Bessarionis
antiquum librum , sane descriptum accurate , et ubi
que fere uel ueritatem ipsam , uel uestigia ueritatis
præferentem . est autem , scilicet enim tu me af-
flixisti , si continuato spiritu legatur , συμπαθῆσε-
ρῶν . Consulatus] siquidem , quæ consul gessi pro
salute patriæ , ea me affligerunt , rogatione a Clo-
dio lata aduersus eos , qui ciues Romanos , indicta
caussa , necassent . quod sane ueteres quoque leges
uetabant . uerum in eo paruit Cicero senatusconsul-
to ; quod in M . Catonis sententiam factum est .
Præter unum me .] uereor enim , ne , qui me per-
diderunt , iidem , non plane mea pernicie satiati , ea-
dem , quæ mihi , eripere tibi conentur , dignitatem ,
patriam , fortunas . Desiderium] mei absen-
tis . Mæror] ex meâ calamitate . Flens flen-
tem ,] non aliqua tristi de causa : ibat enim ad
Asiam regendam Quintus : sed hoc in digressu fra-
trum amantissimorum solet euenire , præsertim ubi
uident

vident futurum, ut absint alter ab altero & aliquan-
 diu, & magno locorum intervallo seimēti. Pro-
 sequentem] cum in Asiam imperio proconsulari
 profectus es. mos enim hic erat, nimirum laudan-
 dus ob humanitatem, ut non solum propinquos, ve-
 rum & amicos, ad prouincias administrandas profi-
 ciscentes, prosequerentur extra urbem. hinc illud ad
 Appium, fam. l. 3. Cum te paludatū prosequerer.
 Prius] quā qualis nunc sum. Peccaui] quia
 mihi ipse manus non intuli, amissis rebus ijs, quæ
 sunt in uita carissima, et quarum causa uita ipsa di-
 ligitur. Superstitem] uellem, inquit, obij-
 se ante huius meæ miserrimæ fortunæ tempus. tunc
 enim superstes meæ non solum uitæ, uerum etiam
 dignitatis fuisses: nunc omnis mea dignitas conci-
 dit. itaque nulla iam a me, si uita nunc excedam,
 in te transferri dignitas potest. Defenderet.]
 tueretur. sic enim factum esset, ne uiuo me care-
 res, uiuo me alijs indigeres. nunc mea pietas, &
 amor in te uenire in dubium potest: quandoqui-
 dem commisi, ut uiuo me careres. Commisi,]
 in quo mea pietas, atque amor desiderari a te potest.
 Fratrem solum desidero:] εἰς φρονίαν pronun-
 tiandum. Prope fratrem] tolle, fratrem: sin-
 cerus erit, qui nunc mendosus locus est. nam quæ
 solet inter æquales suauitas esse; (solet autem maxi-
 ma) eandem prope inter ipsos esse, Cicero dicit. er-
 go non fratrem solum desiderat, simul enim deside-
 rat æqualem: desiderat filium: desiderat parentē.
 Quod



Commentarius in lib. 1.

Quod autem de tollenda dictione, fratrem, diximus; somnium non est. nam Franciscus Petrarca, poeta sermonis Italici hodierni omnium elegantissimus, Latini ueteris haud ualde bonus, ita legit in epistola 107. habuit enim librum scriptum, *us*, qui nunc reperiuntur, emendatiorem. Imaginem meam] Tuam, magis placeret: sed, Meam, ferri potest. sunt enim, qui patrum fratres ore magis referant, quam patres ipsos. Protinus pergas,] ne ad me uenias, sed protinus Romam pergas. Te praesidio] te ipsum tibi praesidio praesentem esse. nam, si quid temporis in reditu poneret; fieri posset, ut aliquid interim absens calamitatis acciperes. Hoc & ad Atticum scribit lib. III. Auctoritatis] si modo quid apud te ualet hoc, quod me sperare uides, erige te, & confirma. spero autem tibi tuam integritatem, & amorem in te ciuitatis, & aliquid etiam misericordiam nostri, praesidij laturam. Isto] quod ad te attinet. Timebat uidelicet, ne quis ei, in urbem reuerso, diem diceret ob prouinciam auare administratam. ad Atticum lib. III. Reprehensionem] nam, si restitutor, magis eorum extabit iniquitas, qui cum inimico meo ad me perdendum consenserint. non enim restitueret, nisi mea pateret innocentia. Sui sceleris] quod amicum deseruerint, ac prodiderint. Honestius] cadere enim in patria, fortiter cum inimicis pugnantem, honestum fuit. Vtilius] forte enim crudelitatem inimicorum mors mea satiaffet: qui

qui nunc, mea calamitate non contenti, valde timeo ne tibi immerenti negotium mea causa facessant. Tuum tempus] tuum periculum. Non placet, inquit, uiuere; nisi si aut aliquid tuis rationibus, dum in periculo uersaris, possum consulere; aut spē, non dico aliquam, aut mediocrem, sed omnino firmam de meo reditu esse intelligis. non enim exigua in spē tantum pono, ut in tam misera turpiq. uita diutius uelim commorari. Genere ipso pecuniæ] placeret sic: Genero ipso, pecunia: ut C. Pisonem generum suum significet: cuius & mores, & ingenium uehementer Cicero probauit. uide de claris oratoribus. De permutatione] te, cum ad urbem perueneris, pecuniam, permutatione sumptam, si ego uellem, mihi curaturam, quorsum hoc ad me retulisti? quasi uero nunc etc. Acceptam] cum iturus essem in exsilium. Ex ærario] quæ tibi Asiæ prætori de publico debebatur. certam enim pecuniam prouinciarum rectoribus resp. numerabat. fam. lib. 11. Frustra] cognosce summam Ciceronis exulis desperationem: qui cum ea pecunia ad se sustentandum usus esset, Frustra, tamen dicat, quasi in res nos necessarias erogatam; quòd in tam afflictâ fortuna uitam sibi non necessariam, ac pæne molestam duceret. Et M. Antonio] duo Quinti creditores, Antonius, et Cæpio. nec tamen abundat particula ET, ut primo aspectu uidetur. Quod cogito] ipse se exponit, cum infert, Huic enim. Molestiæ,] ut aliquis, nostris

Commentarius in lib. 1.

malis non contentus, negotium tibi faceffat. sic in proxima, quæ sequitur, dixit, Si te satis innocentia tua & misericordia hominum uindicat a molestia. Conferas] auxilij causa. nec dubium est, de M. Crasso dici, qui a Parthis cæsus est; et de M. Calidio, qui fuit orator dulcis potius, quàm uehemens; & prator anno proximo de reditu Ciceronis legē promulgauit, ut est in oratione post reditum in senatu. Arrio:] Q. Arrio, de quo lib. 2. ad Att. & Varro de re rustica. Fouendum] summa fuit inter Hortensium & Pomponium Atticum amicitia, ut ait Nepos in uita. uult igitur Hortensium Cicero suæ causæ per Pomponium conciliari. & Hortensium potius nominat, quàm quemuis aliū, quòd is præter ceteros nosse diceretur id, quod a Quinto contra leges commissum opinio erat, Ne ille uersus,] uerebatur, puto, ne' Quintus frater de ambitu accusaretur; quòd in petenda ædilitate pecuniam contra leges dedisset. quo tempore uersus quidam in eum de lege Aurelia, qui ambitum notaret, conferebatur. Licet autem existimare, lege Aurelia sancitum de ambitu aliquid fuisse. Falso testimonio] Hortensii in te. Confirmetur] ut id nunc uerum esse dicatur, falsisq. testibus comprobetur, quod tunc significauerat ille uersus, te scilicet in honore petendo pecunia usum esse. Messallam] eum, ut opinor, qui cum M. Pupio Pisone consul fuerat. Etiam simulatorem] etiam Pompeius, si minus ex animo nobis fauebit, saltem

epist. ad Q. fratrem . 66

saltem fauere se simulabit . quod ad nostram causam subleuandam aliquid , atque adeo multum erit , cum homines Pompeium nostri studiosum suspicabuntur . Afferet] iam enim de se , ut de mortuo , loquitur : & ideo infert , Sed , te incolumi , orbi non erunt .

E P I S T O L A I V .

Iisdem consulibus .

M I S E R I C O R D I A E Q .] *Quid hic habet loci misericordia ? an ipsius misericordia factum erat , ut eijceretur ? Malo igitur , quod indicat mihi meus ille , quem ego nunc ad singula uerba inspicio , Bessarionis antiquus liber ; malo , inquam , pro misericordia que , legere misericordiae que : cum ueterem scripturam huiusmodi esse uideam , mīae que , dictione contracta , unde fluxit error . Decipi] ut a Pompeio , quem summis beneficijs ornaueram . Præter fidem amicorum] uerbum , obfuit , aut simile quid , præ dolore omisit . Cautum] cum discedere malui , quam pugnare . A molestia] ut tibi si ipsi nemo periculum intendat . Sextius] P. Sextius tribunus pl. designatus . Piso ,] gener Ciceronis , qui obiit ante reditum illius . Retinuerunt ,] litteris . Motus] urbanos : quorum expectatione longius discedere nolui . Exitum illorum] exitum illorum motuum .*

Commentarius in lib. I.

tuum. Inimico,] P. Clodio tribuno pl. Ob-
 trectatorum,] Pompeij, Caesaris, & Crassi;
 qui mea dignitati obtrectantes, inimicum meum fo-
 uerunt. Denocius] sic antea. nos, de nouis,
 reposuimus. ut nouos pro designatis ponat, sicuti li-
 bro ad Atticum III. Noui tribuni pl. si essent ti-
 midiores. & ibidem dixerat iam, Veterum tribu-
 norum pl. rogatio. Alij, Domitius autem tribu-
 nus pl. quorum est manifestus error; quòd, ut iam
 ostendimus, inter illius anni tribunos Domitius non
 fuit. Gratidius,] uideo sic esse & in libris ma-
 nuscriptis. magis tamen placeret, Fabricius. nomi-
 nantur enim octo tribuni pl. in oratione post reditum
 in senatu, T. Annius Milo, P. Sextius, C. Cestli-
 lius, M. Cisspius, (sic enim in postrema nostrorum
 librorum editione reposuimus; cum legeretur, Mo-
 sapius) T. Fadius, M. Curtius, C. Messinius, Q.
 Fabricius: qui octo tribuni pl. de reditu Ciceronis
 promulgarunt. duo reliqui, quos in ea oratione non
 nominat, propterea quòd promulgare simul cum col-
 legis noluerant, fuere, ut apud Aconium legimus,
 Sex. Atilius Serranus, Numerius Quinctius. quos
 a me ideo nominatos omnes uolui, quo certius pro-
 barem, in hac epistola &, Fabricius, potius le-
 gendum esse, quàm, Gratidius; cui sententiæ sub-
 scribere uidetur etiam oratio pro Sextio; & ijs as-
 sentiendum non esse, qui, Domitius, malunt, quàm,
 De nouis, legere. Intercessor] ex ipsis tribunis
 pl. aliquis. Mentem exturbarent meam]

omne mihi consilium eriperent. Consulum]
designatorum, Lentuli, & Metelli. totam enim
posuerat spem in proximi anni magistratibus. Ti
mor] quod timeo, ne praetores designati, ubi ma
gistratum inierint, nobis non amici sint. Publica
norum arma] forte id est, quod dixit, Propter
nescio quos motus. ex armis autem grauior existit
inter ciues dissensio: et ad restituendum Ciceronem
summa omnium consensio requirebatur. uerum,
quid si aliter distinguatur, sic inquam? Alienatio
consulum, etiam praetorum, timor publicanorum,
arma. mihi quidem placeret magis. Meorum]
uxoris, filiae, generi. nam filius annum aetatis uix
septimum agebat. Phætonti] liberto. Com
munem casum] meam calamitatem, quae tibi
communis est: quae non ut omnis auferatur, postu
lo: sed, si aliqua ex parte releuabitur, magnum
quiddam facies. Scilicet incredibile quiddam
assequeris] scilicet, hic ad affirmandum usurpa
tur, non, ut interdum, cum ironia, quae negandi
uim habet. sic ep. 6. l. 1. fam. Me in summo dolo
re maxime scilicet consolatur spes &c. potest etiam
hic locus aliter distingui, nec, ut arbitror, inepte,
sic: si leuare potes communem casum, misericordia
hominum scilicet, incredibile quiddam assequeris.
Qui erit consul] iam enim designatus erat:
quod inde patet, quia in hac ipsa epistola mentio fit
de tribunis pl. designatis. Quid sit] rei aut spei
ad salutem nostram. Videbis omnino.] potest

Commentarius in lib. I.

☞ sic interpungi: Videbis . omnino , si tuam &c. Ne cessaris .] ne sis languidior , sed strenue resistas . Non enim gladiis] se ipsum nominat , cum de fraire intelligat ; quòd eandem utriusque fortunam ducat . non , inquit , me , hoc est , te , gladijs , sed litibus petent .



P A V L I M A N V T I I
 commentarius in librum
 secundum Ciceronis
 epistolarum ad Quinctum fratrem.

E P I S T O L A P R I M A .

S C R I P S I T hanc P. Cornelio Len-
 tulo Spinthere, Q. Cæcilio Metello Ne-
 pote cos. mense Decembri, id est in ex-
 tremo anno; cum mense Sextili, iisdem
 consulibus restitutus esset. Quinctus frater erat in
 Sardinia, legatus, ut opinor, a Pompeio missus,
 rei frumentariæ causa. nam quindecim sibi eius
 muneris gratia Põpeius legavit, epist. 1. lib. 4. ad
 Atticum, et apud historicos. Sub dies festos.]
 a XVII. kal. Ianuarij ad usque fere extremum
 mensem dies erant festi, Saturnalia, Opalia, An-
 geronalia, Larentinalia, Juuenalia. Duo con-
 sules designati,] Cn. Cornelius Lentulus Mar-
 cellinus, L. Martius Philippus: quos immiscet con-
 sularibus. P. Seruilius,] Isauricus, pater eius,
 qui consul nouem post annis fuit cum C. Cæsare,
 M. Lucullus,] frater, non germanus, sed conso-
 brinus, ut ait Eutropius, L. Licinij Luculli, qui
 Mithridatem Tigranemq. deuicit. Perijt autẽ paul-
 lo ante, quàm hæc epistola scripta est, certe his con-
 sulibus: quod uidemur satis probasse in commenta-

Commentarius in lib. I.

rio nostro epistolarum familiarium. et quanquam
 Liciniae gentis cognomen sit Lucullus, hic tamen
 non Licinius, sed Terentius est. cur ita censeam,
 argumentis, ut opinor, facile probabo. Primum
 actione tertia in Verrem consules simul M. Teren-
 tium & C. Cassium uideo nominari. collegam au-
 tem C. Cassii fuisse in consulatu M. Lucullum, pla-
 ne constat ex oratione pro Cluentio. Neque uero
 quisquam illud obijciat; alterutrum esse necesse, ut
 uel ex Licinia gente sit, cum Lucullus, quod eius
 gentis cognomen fuit, dicatur; uel, si ex Terentia
 est, Varro potius uocetur ut Terentiae gentis cogno-
 mine utatur. haerebit omnino, hac dubitatione im-
 peditus, qui morem antiquum ignorat. mihi qui-
 dem facile uiam aperit antiquitatis obseruatio. le-
 gi enim saepe, ac notavi, eos, qui iure adoptionis in
 aliam familiam transfissent, duobus cognominibus,
 uno prioris familiae, altero posterioris usos esse, ita,
 ut nouum cognomen ueteri auteponeretur. hoc ita
 esse, cum alia exempla, quae breuitatis causa omit-
 to, tum illud satis indicat in eo senatus consulto,
 quod insertum epistolae M. Caelius ad Ciceronem mi-
 sit. sic enim est in eo. Q. Caecilius Q. F. Metellus
 Pius Scipio, cognomine Scipionis post Metelli ac
 Pij cognomen collocato: quia Scipionem Q. Metel-
 lus Pius, Numidici filius, adoptauerat. itidem
 hic nos ter & Varro, & Lucullus dicebatur, sed
 frequentius tamen Lucullus ob eam causam, quia
 ueteri, quam nouo, cognomine notior erat. addu-

cor autem in hanc opinionem eo libentius, quòd lapides illi Capitolini, proximis annis Romæ reperti, Lucillum hunc consulem, dictionibus vetustate con-
 sumptis, ita ponunt: M. — VS. M. F. — R.
 LVCVLLVS. neque enim dubito, quin litte-
 ra illa, R, quæ ab illis duabus M. F. longissime di-
 stat, alterum cognomen sit, quod a Terentio, patre
 adoptiuo, Lucillus accepit, hoc inquam, VARR.
 quod, Varro, significat, sicuti LVCVLL. pro Lu-
 cullus, ibi scriptum videmus, & in iisdem lapidi-
 bus MARCELL. MESSALL. DOLABELL.
 NASIC. pro, Marcellus, Messalla, Dolabella,
 Nasica, ita diuisa syllaba postrema, ut interdum
 duæ literæ, interdum una tantum omittatur: ut,
 cum scribebant, MAI. pro MAII. Quod autem,
 ubi nomen esse oportuit, lapis habet VS: supple-
 mentum esse uerum dico, TARENTI. ut, quod im-
 perfectum nunc est, integrum hoc sit, M. TAREN-
 TIVS M. F. VARR. LVCVLLVS. nisi si quis præ
 nomen etiam aui putet adiungendum: quod sane de-
 siderari suspicor in lapide. uideo enim inter F. et R.
 spatium esse paullo latius, quàm ut tribus tantum
 illis litteris, VAR. quas ego addo, totum impla-
 tur. præterea, ubi lapis corruptus non est, auro-
 rum prænomina consulibus adiuncta licet animaduerte-
 re. prænomen autem illud, quod esset adiungendum,
 assequi diuinatione non possumus: cum is Varro,
 cuius filius Lucillum adoptauit, consulatum non
 gesserit, ac non modo in lapidibus illis, sed nec in hi-
 storiarum

Commentarius in lib. 1.

*storiarum monumentis, quod sciam, usquam nomi-
 netur. Est igitur hic, M. Terentius M. F. Licinia-
 nus, Varro, Lucullus; a quo, et ab eius collega C.
 Cassio, lex illa Cassia frumentaria lata est, de qua
 Cicero bis meminit in Verrem. Lepidus,] non
 M. Lepidus, qui postea triumvir perdendæ rei pu-
 blicæ fuit, qui nominari non potuit inter consulares;
 cum non nisi multis post annis consul fuerit; sed,
 Man. Lepidus, qui consulatum gesserat cum L. Vol-
 catio Tullo. itaque eos Cicero deinceps memorat.
 Glabrio] Man. Acilius Glabrio; qui anno ante
 Lepidum & Volcatium consul cum fuisset, post eos
 tamen hic nominatur. quod mirari, puerile est. præ-
 tor fuit in caussa Verris. Prætores] cum ex præ-
 toribus neminem nominet, apparet omnes affuisse.
 omnes autem hoc tempore octo omnino fuerunt. ar-
 gumenta, quibus adducor, ut ita esse credam, hæc
 sunt. Prætores, gesto magistratu, exhibant in pro-
 uincias. hoc in dubium uocari non potest. plena ex-
 plorum omnia. uidetur igitur esse rationi consenta-
 neum, ut earum prouinciarum numerus cum præ-
 torum numero congruerit. has porro in senatuscon-
 sulto, quod M. Cælius ad Ciceronem misit, octo ui-
 deo nominari. Itemq̄. inquit, senatui placere, in
 Ciliciam prouinciam, inq̄. octo reliquas prouincias,
 quas prætorij pro prætore obtinerent: & quæ se-
 quuntur. Et in oratione pro Milone, Erat, inquit,
 id temporis consul P. Lentulus, septem prætores,
 octo tribuni plebis, defensores mei. Septem nomi-
 nat,*

nat, uno Appio de omnibus excepto: quod aperte indicat in oratione in Pisonem, his uerbis: De me cum omnes magistratus promulgassent, præter unum prætorem, a quo non fuit postulandum, fratrem inimici mei, præterq. duos de lapide emptos tribunos pl. legem comitijs centuriatis tulit P. Lentulus consul de collegæ Q. Metelli sententia. Et pro Sextio sic: Collegas Milo adiutores habebat, consilis alterius summum studium, alterius animus plane placatus. de prætoribus unus alienus. Quod si quis putet, unum quidem Appium ex uniuerso prætorum collegio a collegis in Cicerone reuocando discessisse, collegas tamen ipsos non plane septem fuisse, locumq. iam a nobis ex oratione pro Milone recitatum, fortasse mendo non uacare; quod in notis numerorum facile solet euenire: huic, opinor, hanc suspicionem eripiam, ipsius Ciceronis testimonio. nam in oratione post reditum in senatu, ubi commemorat eos magistratus, quorum opetredierat ab exsilio, nomina ponit octo tribunorum pl. & septem prætorum, eorum scilicet omnium, quos in ea pro Milone significauerat. Scriptum est etiam apud Dionem lib. XLII, de prætoribus a C. Casare, post Cn. Pompeium in Pharsalia deuictum, decem creatis; ut gratiam bene de se meritis referret. *Ἰνα γὰρ, inquit, πλείους αὐτῶν ἀμείψονται, στρατηγέστε δέκα ἐστὶ τὸ ἐπιὸν ἔτος ἀπέδειξε, καὶ ἱερέας ὑπὲρ τὸ νομομισμένον.* quod si, plures ut remunerari posset, decem prætores, et plures, quàm antea fuerant, sacerdotes creauit:

Commentarius in lib. 1.

rum constat, prætores non antea decem fuisse. Nam quod in Pomponio de origine iuris legitur; Cornelius Sylla quæstiones publicas constituit, ut luti de falso, de paricidio, de sicarijs, de iniurijs; et prætores quattuor adiecit: deinde C. Iulius Cæsar duos prætores, & duos ædiles, qui frumento præessent, a Cerere Cereales constituit: id me minime conturbat. non enim dixit, adiecit quattuor prætores ad numerum ueterum prætorum; sed, adiecit quattuor de ijs, qui prætores erant, ad publicas quæstiones; ut quattuor ab ipso quæstionibus institutis, quattuor item prætores præessent: quos autem duos ait prætores a C. Cæsare adiunctos, eos, opinor, intelligit, de quibus meminit Dio, qui denarium numerum absoluerunt. Patet igitur de prætoribus octo usque ad tertium C. Cæsaris consulatum. quid enim dubias coniecturas colligere opus est, in ea re, quæ satis manifeste probatur & ex eo senatus consulto, cuius uerba recitauimus, & ex quattuor Ciceronis orationibus, & ex Dionis historia? Sed arguit nescio quis, ut decem prætores ostendat, hoc modo. Prætores publicis quæstionibus præerant: publicæ quæstiones erant septem, inter sicarios, de repetundis, peculatus, de ambitu, de maiestate, de ui, de falso; quæ crimen ueneficij, & alia quædam complectebatur. ergo, cum septem essent quæstiones, quod patet ex oratione pro Cluentio, et quæstioni inter sicarios duo prætores præessent, reliquis autem singuli prætores: fuisse prætores octo, qui quæ-

quæstionibus præessent, & duos præterea, quorū
 alter inter ciues, alter inter peregrinos ius diceret,
 necessarium uidetur. Dixi iam, non esse agendum
 coniecturis, aut argumentis, ubi ueterum testimo-
 nia perspicua sunt. nec uero illa, quæ iam attuli,
 obscura uideri possunt. Quòd uero ad numerum
 quæstionum attinet, diuersa ratio est. nam si nu-
 merum prætorum ad numerum quæstionum accom-
 modabimus; non modo plures quàm octo, sed plu-
 res etiam quàm decem creari prætores necesse erit.
 est enim quæstio de falso, est de paricidio, inter si-
 carios, de iniurijs, de ueneficio, de ui, de ambitu, de
 maiestate, de repetundis, de peculatu, de incestu,
 aliæ. Ego autem ad argumentum illud, ne quis eo
 in aliquam dubitationem uocetur, ita respondeo:
 primum, præesse potuisse unum prætorem quæstio-
 nibus pluribus, sicuti non unus prætor, sed duo quæ-
 stioni inter sicarios quandoque præfuerunt. possunt,
 exempli gratia, sex prætores ita distineri crebrita-
 te iudiciorum, ut nouis ex orientibus quæstionibus
 uacare non liceat. potest eo tempore septimus præ-
 tor (reliquus erat unus urbanus, qui non quærebat,
 sed ius dicebat) in ea quæstione minime occupatus
 esse, quæ sorte illi contigerat. hic, non dubito, quin
 ad eas quæstiones exercendas decreto senatus tradu-
 ceretur, quibus uacare sex reliquos prætores non po-
 tuisse iam dixi. non enim committendum, ut impu-
 niti crimina differantur, nec sit locus quò nocentes
 rei adducantur. Age uero, concedatur quæstiones

Commentarius in lib. 1.

ab uno pratore plures exerceri non licuisse : sequitur ne necessario , ut ideo plures , quàm octo , prætore , quia quæstiones plures quàm octo , fuerint ? non sane , mihi quidem ut uidetur : nisi si mihi illud ante rationibus probetur , quæstiones non potuisse ab alijs , quàm a pratoribus , exerceri . quod si quis aggrediatur probare , fortasse hærebit . At nostra ratio quo modo procedit ? optime uidelicet : nititur enim testimonio ueterum : a quo ego , quantum in me est , do operam ne discedam . quid igitur ueteres testantur ? præfuisse & publicis quæstionibus , & capitalibus qui prætore non essent : qui iudices quæstionis dicebantur . nam quæstionem de ueneficio , quam exercuit prætor Q. Voconius Naso , apud quem Cicero Cluentij causam egit , exercuerat ante C. Iunius , non ut prætor , sed ut iudex quæstionis , qui & quæstor uocabatur . pater ex oratione pro Cluentio : patet etiam ex Asconij commentarijs . iudicum autem quæstionis duo fuisse genera , alios prætores , ut Q. Voconium Nasonem in causa Cluentij , alios non prætores , ut C. Iunium in causa Oppianici , multis uerbis demonstratum est in libro de legibus . Atque hac ratione tueor locum illum in oratione pro Cluentio , in quo sex prætores cum nominasset Cicero , Q. Voconium Nasonem , M. Pleitorium , C. Flaminium , C. Orchinium , se ipsum , C. Aquillium , subiunxit , Quid reliquæ quæstiones ? quibus ex uerbis reliquos prætores intelligi , falso coniecit is , quem supra significatione tantum ,

ne cui uideamur uoluisse detrabere , appellauimus . uel enim , ut dixi , de iisdem prætoribus ibi nominatis , qui reliquas illas quæstiones exercere possent , licet intelligere ; uel , quod iam probaui , de illis quæstionum iudicibus , qui cum prætores non essent , quæstionibus tamen non modo publicis , uerum etiam capitalibus (nec enim publicæ capitales omnes erant) interdum præerant . Reliqui duo prætores , Ciceronis collega , P. Cassius , & C. Antonius fuere . Cassius de maiestate quæsiuit : Antonium , cum reliqui septem , quos nominauimus , omnes quæsierint , prætorem urbanum fuisse , iusq. dixisse , necesse prorsus est . Hic teneris , inquit , octo prætores nominasti , & peregrinum omisisti : quem adiungi necesse est : & , si adiungitur , plures erunt , quam octo . Explico me Peditani ope : cuius elegantem , plenumq. antiquitatis , ac uere aureum libellum nō me pænitebit unquam legendo contriuisse . is igitur in commentario orationis aduersus Antonium , & Catilinam , prætorem eum , qui de repetundis quæreret , eundem ius inter peregrinos dixisse demonstrat . quod nec a ratione uidetur discrepare . non enim ciuium , sed sociorum , hoc est peregrinorum , causa iudicia repetundarum sunt instituta . iure igitur idem prætor & ius dicebat inter peregrinos , & , ijs petentibus , de repetundis quærebat . quod cum ita sit : ius inter peregrinos prætorem Ciceronem dixisse , qui de repetundis quæsiuit , pro certo putandum est . uerum Peditani uerba , ut eius testimo-

Commentarius in lib. I.

nio res pateat, subscribamus. Antonius, inquit, multos in Achaiâ spoliauerat, naetus de exercitu Syllano equitum turmas. deinde Græci, quos spoliauerat, eduxerunt Antonium in ius ad M. Lucullû prætorem, qui ius inter peregrinos dicebat. egit pro Græcis etiam tum adolescentulus C. Cæsar, de quo paullo ante mentionem fecimus. et cum Lucullus id, quod Græci postulabant, decreuisset; appellauit tribunos Antonius, iurauitq. se ideo appellare, quod æquo iure uti non posset. quem locum & Plutarchus attigit in uita Cæsaris, sed ita mendose, ut mirer eum in rebus Romanis tam turpiter esse lapsum. primum P. Antonium nominat, qui C. fuit: deinde Macedoniae prætorem appellat M. Lucullû, qui prætor Romæ fuit: tertio, de corruptis iudicijs accusatum ait Antonium, qui accusatus est de repetundis: postremo, tradit eum ideo tribunos pl. appellasse, quod sibi non licere cum Græcis diceret æquo iure in Græcia contendere: cum appellare in prouincia ad tribunos pl. qui Romæ erant, nemo soleret. quæstum potius ad senatum socij ueniebant, nec de corruptis iudicijs, sed de pecunijs ereptis, aut de nece iniusta, aut huiusmodi flagitijs: de quibus aut ad prætorem, aut etiam ad populum quandoque agebat accusator. quare Plutarchum hoc in loco non puto posse ab inscientiæ culpa uindicari. Hæc præter consuetudinem meam, hoc est eam, quam puto esse tenendam in conscribendis commentarijs, paullo fusius tractaui, non ambitione adductus, sed studio ueri-

ueritatis; ne confirmaretur opinio illa de decem prætoribus ante bellum ciuile Cæsaris & Pompeij. Ad ducentos] hic tamen frequens senatus dici uere non potest. nam in epistola quadam ad Atticum ccccxv, & in oratione post reditum in senatu ccccx senatores nominantur. non igitur, frequentes, ex uniuersi senatus numero, sed, frequentes, ut mense Decembri. Commorat exspectationem] quia senatum coegerat, ut ageret causam agri Campani. licebat enim senatum habere etiam tribunis pl. ut Gellius docet. hic autem senatum a Lupo esse habitum, non modo ex duabus illis dictionibus, Commorat exspectationem, conijcio. Lupus] P. Rutilius Lupus. hic sine dubio tribunus pl. erat; cum rogandi sententias potestatem haberet, ut paullo post liquet. sententiæ porro non nisi a magistratu rogabantur. sed quid opus est argumentari? in epistola ad Lentulum, quæ scripta est Marcellino & Philippo cos. epist. fam. l. i. ep. 2. Lupus, inquit, tribunus pl. quòd ipse de Pompeio retulisset. Quid autem, si quis ita obijciat? fuisse Lupum tribunum pl. Marcellino & Philippo cos. quo in Ciliciam anno Lentulus Spinther profectus est: quod utrunque cognoscitur ex fam. lib. i. non posse igitur, quo anno scripta est hæc epistola, hoc est, Lentulo Spinthere, et Metello Nepote cos. tribunum pl. esse. Inepta dubitatio non est, quæq. rerum Romanarum imperitos facile perturbet. ea tamen diluitur, si sic obijcienti respondeas. Tribunus

Commentarius in lib. I I.

pl. sine fuit Lupus Marcellino & Philippo cos. idem tamen Lentulo quoque & Metello cos. utrumque enim licuit. nam, cum consules per totum Decembrem mensē magistratum gererent; tribuni autem plebis ad usque tantum I V. id. Dec. sequebatur, ut per eius mensis dies reliquos consulibus ijs, qui ab exitu magistratus minimum aberant, novi tribuni pl. essent, ijdemq., cum primo Ianuarij die novi consules magistratum inissent, per totum insequentem annum, ad I V. id. Dec. quod a Dionysio Liniōq. didicimus. erat igitur tribunus pl. Lupus Lentulo & Nepote cos. in extremo anno, hoc est, post I V. id. Decemb. annoq. insequenti, Marcellino & Philippo cos. ad eundem usque diem magistratum peregit. Collegas eius inuenio septem, L. Porcium Catonem, C. Caninium, L. Racilium, Cn. Plancium, A. Plantium, Sex. Antistium Veterē, * Cassium. ipsi prænomen fuit Publio, nomen Rutilio. fam. lib. I. pro Plancio, ad fratrem, Dio. prætor fuit belli ciuili anno I. Lentulo & Marcello cos. quod Cæsar in comm. de bel. ci. lib. I. docet, & Cicero ipse lib. VIII. & IX. ad Atticum.

Agri Campani] C. Cæsar in consulatu legem tulerat, ut ager Capanus, et qui publicus erat, et qui possidebatur a priuatis, plebi diuideretur. diuisitq. consul ipse partem eius agri publicam, reliquā a priuatis erui pecunia publica oportebat. a quo Lupi trib. pl. uoluntas cum abhorreret, disputauit in senatu contra legem Cæsar's accurate. uide hic ep.

epist. ad Q. fratrem . 74


5. & ep. 9. l. 1. fam. ad Lentulum . Materiam
rei] quæ ipsa sibi audientiam facit . Nostris actio
nibus] laudauit omnia , quæ acta sunt a me in con
sulatu , ne ager Campanus P. Seruiliij Rulli tribu
ni pl. lege ueniret . In C. Cæsarem] qui consul
de agro Campano plebi diuidendo legem tulerat .
Suetonius , Appianus , Dio , Plutarchus , ad Atti
cum non semel libro 11. Gellium] L. Gellium cre
derem , qui cum Cn. Cornelio Lentulo consul fuit :
sed eum inter consulares nominasset . aut igitur alius
Gellius est : aut , si consularis est , non affuit in se
natu , sicuti nec Cæsar aderat , nec Pompeius ; quo
rum in alterum aculei , cum altero expostulationes
fuerunt . Expostulationes] cum quereretur ,
agrum Campanum a Cæsare diuisum esse , consen
tiente Pompeio . ad Atticum lib. 11. Plutarchus ,
alij . Absente Pompeio] aberat rei frumenta
riæ causa . ad Atticum , lib. 1 v. ad hunc , ep. 9.
Absente] non erat in senatu , quia , rei frumenta
riæ præpositus , ad urbem cum imperio erat . impe
rium autem habentibus urbem ingredi non licebat .
Sententias se rogaturum] & hic apparet , tri
bunum pl. fuisse Lupum . præter enim magistratus ,
rogandi sententias potestatem , ut iam dixi , nemo ha
bebat . Ne quod onus] nolle se a senatoribus sen
tentias dici ; ne , cum aduersus uoluntatem alicuius
loquerentur , in similitates , et inimicitias inciderent .
Conuiciis] meminerat enim , quæ in senatu supe
rioribus temporibus , cum ageretur de agro Campa

Commentarius in lib. I I.

no, altercationes, & conuicia fuissent. inde, quid quisque sentiret, poterat intelligere. nam cum antea conuicia in eos, qui de agro Campano diuidendo agebant, essent a senatoribus plerisque coniecta; tunc autem, ipso uenditionem suadente, mirum silentium esset: ex eo silentio, probari, quod ipse uellet, ita cognoscebat, ut antea, quod de agro Campano ferebatur, improbari, de conuicijs intellexerat. Milo cœpit dimittere] senatum. sed in uoce, Milo, insignem esse mendam existimo. fuit omnino tribunus pl. T. Annius Milo ijs consulibus, quibus hæc epistola scripta est: sed exierat iam e magistratu; cuius, ut diximus, extremus erat dies v. id. Dec. suumq. magistratum noui tribuni plebis, quorum unus erat Lupus, inierant. quare potestatem dimittendi senatus, cum tribunus pl. non esset, habere Milo non potuit. puto igitur, hæc tria uerba de Lupo esse dicta; ut, qui senatum uocauerat, idem cœperit dimittere. neque uero, quod ad correctionem attinet, quò me coniectura ducat, non habeo: sed ego non is sum, qui, cum aliquid sine antiquorum librorum ope, aut sine manifesto historie consensu corrigo, ipse mihi magnopere placeam. dicam tamen, quod sentio. pro, Milo cœpit dimittere, reponi posset, una tantum addita littera, In illo cœpit dimittere: hoc est, in postremis illis uerbis, Se intelligere, quid senatus sentiret. Marcellinus] consul designatus; qui paucis post diebus, hoc est, kal. Ianuarij, consulatum iniuit. propterea pri-

epist. ad Q. fratrem. 75

mus a Racilio tribuno pl. sententiam rogatus est: quod proxime sequitur. sententiam enim primi rogabantur consules designati, qua de re plenius in libro de senatu. Cum Pompeius absit,] qui cum bello Mithridatico se diuisurum suis militibus agris Campanum ostendisset; ipso absente, agri Campani causam agi, non satis æquum uidebatur. Se senatum negauit tenere.] dixit, quod ad ipsum attineret, licere senatoribus abire; cum illis uerbis uteretur, quæ magistratum erant peculiaria in dimittendo senatu: Patres conscripti, nemo uos tenet. Linius. Racilius] L. Racilius, tribunus pl. de quo fam. lib. 1. hic senatum, Lupo dimittente, retinuit, pro potestate tribunicia. Surrexit] ex hoc loco, stantes magistratus in senatu uerba fecisse, constat: quod de senatoribus tradidit Pedianus. et, Surrexit, nimirum cum in senatu sederet. quo scædior patet error Dionis, ac Valerij Maximi, quorum uterque non licuisse tradit ingredi senatum tribunis pl. De iudiciis] ut iudicia fierent in eos, quibus dicta dies erat. & unum maxime Clodium animo spectabat. Is cum grauiter de Clodiana incendiis] paucis ante diebus idem senserat: quod ad Atticum Cicero scripsit his uerbis: Proposita Marcellini sententia, quam ille de scripto ita dixerat, ut totam nostram causam, aræ, incendiorum, periculi mei, iudicio complecteretur, eaq. omnia comitijs anteferet, proscripsit se per omnes dies comitiales de cælo seruaturum. Ut ipse iudices



Commentarius in lib. I I.

per prætorem urbanum sortiretur:] Clodius de ui, accusante Milone, reus erat; quod in epistola ad Lentulum, 13. illa uerba significant: Impunitatem est eorum sententijs affectus, qui, cum tribunus pl. pœnas a seditioso ciue per bonos uiros iudicio persequi uellet, exemplum præclarissimum in posterum uindicandæ seditionis de rep. sustulerit. Et in oratione pro Sextio. In eum igitur Marcellinus ipse sortiri iudices, prætoris urbani opera, uolebat. quanquam rectius, meo quidem iudicio, lege retur: Ut ipse iudices prætor urbanus sortiretur. forte enim, cum in libro uetere aliquo scriptum esset, Præt. urb. hoc est, prætor urbanus; addita ab imperito homine, mendosum locum suspicante, particula, per. quòd si legatur, ut dixi; intelligendum erit, hoc anno non urbanum prætorem, sed alium e collegio de ui quæsiuisse, iudicesq. sortitum esse: porro Marcellinum munus illud sortitionis ad prætorem urbanum uoluisse transferri; fortasse quòd eius prætoris, qui de ui quæreret, diligentia, aut fidei non ita consideret. atque hæc, quæ tantum a coniectura manant, nec ullius loci testimonio confirmantur, examinari paullo accuratius uolumus ab eruditiss. Sortiretur:] ex uniuerso numero; qui ex tribus ordinibus, senatorio, equestri, plebeio, constabat. quod multis docemur exemplis. Comitiam] ædilicia, quibus petebat Clodius; & ob eam causam ante iudicia haberi comitia uolebat, ut ædilis factus, Milonis accusationem facilius eluderet. quod

quod ita contigit. hinc illud ad Atticum lib. I v. Ille postea, si sua comitia non fierent, urbi minari. Haberentur:] paucis ante diebus fieri iudicia Marcellinus ante comitia uoluerat: itaque dixit Cicero, in ea, quam nominavi, ad Atticum epistola, Ea q. omnia comitijs anteferet. nunc sententiam ex parte mutat. concedit enim, ut comitia habeantur ante iudicia, sed sortitione iudicum prius facta; cum eo, ut, habitis comitijs, iudicia statim fiant: qui iudicia impedierit, is contra remp. fecisse iudicetur. ita nec impedit comitia; & causam iudiciorum eripi cupientibus bonis, non patitur. C. Cato,] tribunus pl. ep. 3. & 4. & epist. fam. lib. I. Cassius] & hic tribunus pl. Acclamatione] aduersus Cassium; quia comitia fieri ante iudicia uellet. Philippus] L. Marcius Philippus, Octauij, cui Augusto postea cognomen fuit, uiricus. hic cū designatus consul esset, cum Lentulo Marcellino, sententiam post eum proximus rogatus est. nam qui priore loco designatus consul erat, is priore item loco sententiam rogabatur; ut in libro diximus de senatu. De priuatis] ergo post omnes magistratus. De toto furore] non de eo solum, quod expulisset fabros de area nostra; quod Catuli porticum, quæ ex senatusconsulto, consulum locatione, reficiebatur, disturbasset; quod Quincti fratris domum inflammasset; quod insecutus esset me lapidibus, fustibus, gladijs; quod Milonis domum, meamq. incendere conatus esset; quorum criminum

Commentarius in lib. I I.

nomine reus erat; sed plane de omnibus delictis, quæ, immani quodam furore incitatus, aut in me, aut in alios, aut in ipsam remp. commiserat. Secundis] assensum indicantibus. ductum a uentis: quibus cum utimur secundis, fertur, quò uolumus, recto cursu nauis. Seuerus Antistius] cum in epistola M. Bruti Veterem Antistium uocari uideam, suspicor hic de menda. et forte legendum sic: Sex. Vetus Antistius: aut, Vetus Atistius: quòd dictio, uetus, in uerus, duarum litterarum, t et r, similitudine, cõuersa facile sit; et uerus, deinde abierit in seuerus: ut sunt homines ad ea mutanda procliuēs, quæ statim ut intelligerent, uel rei difficultate, uel ingenij uitio non successit. nam quod, Vetus Antistius, si legatur, nomini cognomen anteponetur; eo minime perturbor, qui huius generis exempla sepe notauerim. dixit enim infra ep. 4. Macer Licinius: ad Atticum ep. 15. l. 8. Balbi Cornelij: & ep. 8. lib. 2. fam. Gallus Caninius. Iudiciorum caussam suscepit,] cum hæc uerba, ut Antistium tribunum pl. existimem fuisse, me adducunt; tum illa, quæ sunt in clausula epistolæ: De tribunis pl. longe optimum Racilium habemus. uidetur etiam Antistius amicus nobis fore. nam Plancius totus noster est. In eam sententiam] quam? an Antistij, qui, se antiquissimam esse habiturum iudiciorum caussam, proxime dixerat? non puto. nam, cum tribunus pl. esset, certe ante Ciceronem, inter ceteros magistratus, rogatus

tus erat sententiam . laudauit enim potius Cicero-
nem Antistius , quòd , ut optimatem decet , ita lo-
cutus erat , quàm sententiam dixit . expono igitur ,
Eam , Marcellini , cui Philippus assenserat , & Ci-
cero deinde multis uerbis . Quod autem inquit , I B A
T V R , non puto , pedibus , subaudiri . non dum enim
sententiam rogati omnes erant : quod ubi factum nõ
esset , eundi pedibus in sententiam initium non fie-
bat . I batur , igitur , omnium pæne consensu . Diè
dicendo eximere] licebat enim senatori , et qua
de re uellet , & quàm diu uellet , dicere . qua pote-
state abutebantur multi ; cum oratione longa diem
consumerent , ne quid in senatu contra uoluntatem
eorum decerneretur . ep. 3. l. 4. ad Att. & l. 3.
de leg. & Gellius l. 4. c. x. A Racilio] qui cum
de iudicijs retulit , libera cum primis , ac minime ue-
recunda oratione , asperso multarum facetiarum sa-
le , (id enim est urbane) Clodium uexauerat . li-
ber Magnuli habet , Inurbane : & puto sumptum
a libro manuscripto : quia , Inurbane , rubris litte-
ris factum est : qua ille , ut iam diximus , ueteris li-
bri nota utebatur . nec male congruet , inurbane ,
cum dictione , contumaciter : ut Clodius ideo fure-
ret , quòd esset contumaciter , & inurbane uexa-
tus . A græcostasi] locus fuit ante curiam : de
quo Varro . Gradibus] quibus ad curiam ascen-
debatur . Opinor , in Q. Sextilium ,] opinor ,
dicit , quia Clodij operæ in eos , qui senatus ad fo-
res adstabant , incitatæ sunt : quos autem de ijs , pla-
ne

Commentarius in lib. 11.

ne scire non poterat, cum ipse esset in senatu. et Sextilium nominat; quod is eius multitudinis, quæ Milonem extra senatum, mox exiturum, operiebatur, quasi dux esse uideretur. habebat enim, ut Clodius, sic & Milo suam factionem. Ideo autem, In Sextilium & amicos Milonis incitatae, quia Clodium Milo de ui accusabat. Ut arbitror, in mensem Ianuarium] quia reliqui erant Decembris mensis dies, quibus haberi senatum liceret, paucissimi, nempe quattuor, ut opinio mea fert. nam, cum ab idibus Decembris, quo die senatum a Lupo esse habitum existimamus, (cur ita existimemus, supra ostendimus) ad kal. Ianuarij dies xviii. numerentur; ex ijs porro festi sint v. comitiales ix. fasti xv. sequitur, ut per quattuor tantum dies, hoc est fastos, haberi senatus posset. nam, festis diebus non potuisse, notius est, quam ut probari debeat: comitialibus item, facile intelliget, qui senatusconsultum, quod est in epistola Cælij ad Ciceronem, attente legerit. sic enim in eo scriptum est, D. E. R. I. C. uti C. Paullus, C. Marcellus eos. cum magistratum inijsset ad ex kal. Mart. quæ in suo magistratu futurae essent, de consularibus prouincijs ad senatum referrent, ne ue quid prius ex kal. Mart. ad senatum referrent, ne ue quid coniunctim de ea re referretur a cos. utiq. eius rei causa per dies comitiales senatum haberent, S. Q. C. facerent. Nominatim de comitialibus diebus non dixisset, ut per eos senatum haberent, si haberi alioqui licuisset. et

ut ijs, qui acuti nimium uideri uolunt, dum ab alijs excogitata delicato quodam fastidio respiciant, omnis calumniandi praecludatur occasio; uerba Ciceronis, quæ id, quod agimus, aperte probant, ex epistola sequenti recitabimus. Consecuti sunt, inquit, dies comitiales, per quos senatus haberi non poterat. Plancius] mendose (sic enim puto) legebatur in omnibus libris, Plautius. nos, Plancius, reposuimus: primum, quod hunc esse Cn. Plancium credidimus; quem tribunum pl. eodem anno cum L. Racilio fuisse, oratio pro ipso, quæ extat, a Cicerone habita demonstrat: deinde, quod apud me ponderis est maximi, quia Bessarionis in libro, Plancius, non Plautius, plane uideo scriptum esse. placet tamen hoc anno & Plautium tribunum pl. fuisse: quod a Dione lib. xxxix. traditum est. sed hic de Cn. Plancio malim, quàm de A. Plautio, quem nominat Dio, intelligere. sequor enim antiquum librum: sequor historiam: sequor etiam illud, quod, cum dicat Cicero, Noster totus est, magis id conuenit in Plancium, Ciceronis amicissimum, quàm in Plautium, cui nullam cum Cicerone intercessisse insignem necessitudinem legimus. & fortasse is est Plautius Hypsæus, de quo in epistola i. ad Lentulum his uerbis: Libonis & Hypsæi non obscura concuratio, & contentio in eam opinionem rem adduxerunt, ut Pompeius cupere uideatur. Hypsæus enim Plautiæ gentis cognomen. De mense Decembri,] usitata ueteribus locutio, pro, mense. qualis

Commentarius in lib. I I.

qualia sunt, de nocte, de die, et similia. Cicero pro Murena: *Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas.* & in epistola ad Atticum, libro VIII. *Obsignata iam epistola, quam de nocte daturus eram.* Horatius:

Offensus damnis media de nocte caballum

Arripit: Catullus:

Vos conuiuia sumptuosiora de die facitis.

Scripserat Quintus, ut ex his Marci uerbis conicio, sibi constitutum esse, Romam hoc mense transmittere. quod tamen nec omnino quattuor post me sibus ab eo factum, sequentes epistolæ declarant.

E P I S T O L A I I.

Cn. Lentulo Marcellino, C O S.
L. Marcio Philippo,

x c v s o] de litterarum infrequentia.

E Te puto sæpe habere] post hæc uerba sequebatur, *Etsi non semper. quod cum mihi nunquam satis probatum fuisset, (absurdum enim, minimeq. necessarium uidebatur) tollere tamen, nisi meam opinionem manuscriptus liber confirmaret, nunquam ausus sum. nunc in meo illo, mihi magnopere probato, Bessarionis antiquo exemplari uideo, quod coniecturæ meæ respondeat, scriptum esse, sic inquam: Te puto sæpe habere, qui, num quid Romam uelis, quærant. Lentuli, & Sexti*

Sexti] ut a Lentulo & Sexto debitam tibi pecuniã exigamus; exactam Pomponio Attico, cui debes, persoluamus. Cincio] L. Cincio, qui Attici negotia Romæ procurabat. ad Atticum libro 1. Ad recordationem præteritæ memoriæ] ad excitandam eius rei recordationem, quam ex animo nostro deleuit obliuio. Gracchus] Ti. Sempronius, Tiberij & Caij, clarissimorum oratorum, pater: qui cum recordatus esset, in designatione consulum non recte a se tabernaculum esse captum; deq. vitiosa designatione ad augurum collegium misisset; augures ad senatum retulerunt; senatus, ut consules abdicarent, censuit: consules abdicarunt. Historia est libro 11. de natura deorum, libro primo de diuinatione, apud Valerium Maximum libro primo. Venit] pro consule. etsi prætoriam potius provinciam, quàm consularem, erat Sardinia. sed interdum & a proconsulibus prætoriam administrabantur. quod exemplo Macedonia, in oratione in Pisonem, demonstratur. In campo Martio] ubi magistratus omnes creabantur. Comitiam consulum habenti] cum esset iterum consul cum M. Iuuentio Thalya. habuit autem ea comitia Gracchus potius, quàm eius collega Iuuentius; quia qui prior loco creatus erat consul, is comitia sequentis anni consulibus rogandis habebat. itaque & Cicero, qui prior consul erat, consulem a se esse Murenam renuntiatum, in oratione pro eo narrat. plura in libro de comitijs. Contra auspicia] Veteres ni-

Commentarius in lib. I I.

hil non auspicato gerebant. Gracchus autem, quia tabernaculum uitio cepisset, contra auspicia consules creauerat. De forma Minuciana,] ædificium forte Quinctus ad eam formam, quam Minucius architectus fecerat, extrui uolebat. qua de re uidetur significari infra, ep. 5. Nominibus Pomponianis] pecunia, quam debes Pomponio Attico, & a Lentulo & Sexto solui uelles. Emi nihil.] ubi edificetur ad formam Minucianam. Auctio] de bonis Culleonis mortui; que fiebat inter coheredes, quo facilius ad suum quisque perueniret. Condicio] emendi Tusculani. Cyrum] architectum. ad Atticum ep. 3. l. 2. & fam. ep. 14. lib. 7. & pro Milone. Aedilitatis] quam Clodius petebat. Comititia] ædiliticia. nam consularia iam fuerant; cum de consulibus designatis mentio fiat in epistola proxima superiore. Ediçta sunt] ediçto consulum Marcellini et Philippi. cur autem eò usque tracta erant comitia ædiliticia; que, si mos seruaretur, anno superiore fieri debuissent? quia, cum iudicium, quo Clodius de uicaußam dicturus erat, ante comitia fieri, & Marcellianus, & alij noluissent; contra Clodius intelligeret, se iudicium effugere, nisi ædilis designaretur, non facile posse; ideoq. contenderet, ut comitia iudicijs anteferrentur: utriusque partis contentione factum est, ut iudicia simul & comitia ultra spatium legitimi temporis producerentur. Cautio- nis] ne quã Clodius, si euenerit ut ædilis creetur, nocere

epist. ad Q. fratrem . 80

nocere nobis possit . Rege Alexandrino] Pto-
lemæo Aulete : qui , a suis ciuibus pulsus , ad sena-
tum confugerat , petebat que , ut restitueretur . *fam.*
lib. 1. Dio, & alij. restitutus demum est ab A. Ga-
binio Syriæ proconsule ; qui prouincie suæ terminis ,
pretio ductus , est egressus . quo nomine postea con-
dernatum , in Dione legimus . Multitudine]
cum qua regem reduci , uetabant libri sibyllini . hinc
illa apud Lucanum carmina :

Haud equidem immerito Cumanæ carmine uatis
Cantum , ne Nili Pelusia tangeret ora
Hesperius miles , ripasq. æstate tumentes .

Dio quoque sibyllæ uerba recitat lib. xxxix.

Lentulus] P. Cornelius Lentulus Spinther , qui
proximo anno consul fuerat , et in Ciliciam tunc pro
consul ibat . Officio] quia consul Lentulus ad se-
natum de Cicerone restituendo contra legem Clodiã
retulerat ; ut ei , cuius maxime beneficio restitutus
esset , nihil Cicero non debere uideretur . Volun-
tati Pompeii] quia , etsi pro Lentulo studiose ,
ita tamen egimus , ut animum Pompeij ne offende-
remus . Obtrectatores Lentuli] aduersarios
in reductione regis duos in primis Lentulus habe-
bat , Catonem , & Caninium , tribunos pl. Cato-
nem quidem , totam reductionem regis oppugnan-
tem , nec minus Pompeio , quàm Lentulo , insen-
sum : quod ostendit ep. 5. Caninium autem reduci
regem , non a Lentulo , sed a Pompeio cupientem .
& Cato eò processit iracundiæ , ac maleuolentiæ ,
ut

Commentarius in lib. I I.

ut de abrogando Lentulo Ciliciæ imperio legem promulgauerit. quod ex eadem epistola cognoscitur. Nonius etiã hæc Fenestellæ uerba ex annali x x i i recitat. Vt magistratum, inquit, inierunt tribuni C. Cato, turbulentus adolescens, & audax, nec imparatus ad dicendum, concionibus assiduus inuidiam & Ptolemæo simul, quæ iam ex urbe profectus erat, & P. Lentulo consuli, paranti iam iter, concitare, secundo quidem populi rumore, cœpit. Caninius autem usque eò Pompeij studiosus fuit, ut legem ferre conatus sit, qua Pompeius cum duobus licitoribus Ptolemæum reduceret. quod apud Plutarchum in Pompeio scriptum est. idq. Cicero ipse in epistola septima. significat in his uerbis: Mihi semper tuæ laudi fauere uisus est, etiam ipso suspiciofissimo tempore Caniniano. Calumnia] fictis ad impediendum causis. dicit idem eadem de re in epistola ad Lentulum quarta. Dies comitiales] dixi iam de hoc genere dierum. Latrocinio tribunorum,] Catonem in primis, & Caninium notat: quorum ad eripiendam Lentulo regis reductionem iniquissimos conatus latrocinium appellat: de quibus etiam ep. 4. ad Lentulum sic: Qui nunc populij R. nomine, re autem uera sceleratissimo latrocinio, si qua conabuntur agere, satis promissum est, ut ne quid saluis auspicijs, aut legibus, aut etiam sine ui agere possint. Per uim] satis enim promissum erat, ne perferre eam sine ui posset. quod & proxime recitata uerba ex epistola ad Lentulum, & ea prætere

terea declarant in epist. 2. ad eundem: Quod ad
 popularem rationem attinet, hoc videtur esse con-
 secuti, ut ne quid agi cum populo aut saluis auspi-
 cijs, aut saluis legibus, aut denique sine vi possit.
 Rogationem] de qua proxime dixi, ut Pompe-
 ius cum duobus lictoribus Ptolemaum restitueret:
 aut enim eam ferre legem Caninius iam conatus
 erat, aut se laturum ostenderat, nam de nota roga-
 tione loqui Cicero videtur. Perlaturum] non per-
 tulit. non enim Pompeius, sed Gabinus regem re-
 sinituit: quod ex Appiano, Dione, Plutarcho, ip-
 so etiam Cicerone constat. Non dispicio] sole-
 bat enim Pompeius & silentio tegere uoluntatem,
 & aliud sentire, ac loqui. id ostendunt Ciceronis
 epistola, lib. I. ad Lentulum epist. I. & V. libro
 ad Atticum IV. epist. IX. & XIV. Caelius etiam
 epist. I. lib. VIII. Quam, inquit, Pompeius ora-
 tionem habuerit, quamq. ostenderit uoluntatem,
 (solet enim aliud sentire, & loqui, neque tamen
 tantum ualere ingenio, ut non appareat, quid sen-
 tiat) fac mihi perscribas. Familiares eius] Vol-
 catius, Lupus, Afranius, Libo, Hypseus, Cani-
 nius. epist. I. ad Lentulum. Contra Lentu-
 lum.] ut reductio regis ab Lentulo, cui iam S. C.
 comissa fuerat, ad Pompeium transferatur. hinc in
 epistola ad Lentulum: Res agitur per eodem credi-
 tores, per quos, cum tu aderas, agebatur. regis
 caussa si qui sunt, qui uelint, qui pauci sunt, omnes
 rem ad Pompeium deferri uolunt. Si fas esset] fas

Commentarius in lib. I I.

non est, quia summum ab eo beneficium, patrie re-
stitutus, accepi. Succensere] ob eam, credo,
causam, quòd superficiem ædium non pluris, quàm
HS uicies æstimasset. de quo queritur ep. 2. l. 4.
ad Atticum.

EPISTOLA III.

Iisdem consulibus.

LEGATIONES] quibus audiendis,
L mense Februario senatus habebatur; idq.
lege Gabinia; quod infra patet, ep. 12.
& fam. l. 1. ep. 4. A kal. Febr.] legitimi haben-
do senatui dies erant, κ αλends, nonæ, idus. reliquis
diebus, modo comitiales non essent, haberi quidem
senatus poterat; sed certus neque lege, neque mo-
re statutus erat dies. positum id erat in uoluntate
magistratum. legationes igitur a κ αλendis in idus
reijciebantur; non quia senatum haberi ante idus
non liceret; sed quia, si haberetur, alia de re potius,
quàm de legationibus, agi placeret, habitus autem
quinquies ante idus est, primo nonis, ut opinor,
de prouincijs quæstorum, & de ornandis prætori-
bus; iterum, tertio, quarto, VIII, VII, VI. idus,
de Clodianarum operarum ui; quinto, IV. idus de
sodalitatibus, & decuriatis. Milo affuit:] ope-
rapretium est nosse, a quo accusaretur Milo, quo
de crimine, apud quos iudices. accusabatur a P.
Clodio

Clodio ædili, de vi, apud populum, accusatorem
 & crimen illa demonstrant, quæ sunt in oratione
 pro Sextio, manifeste de Clodio pronuntiata. Nam
 quid ego de ædile ipso loquar? qui etiam diem dixit,
 & accusavit de vi Milonem. & infra ibidem: Vo-
 litat ædilis; accusat eum, qui aliqua ex parte eius
 furorem exsultantem repressit. & infert continen-
 ter, de Milone: Hic, qui se est tutatus sic, ut in
 priuata re deos penates suos, in rep. iura tribuna-
 tus, auspiciâq. defenderet, accusare eum moderate,
 a quo ipso nefarie accusatur, per senatus auctorita-
 tem non est situs. Idem et Dio lib. xxxix. demon-
 strat. Accusatum autem esse, non ad prætorem,
 sed ad populum, patet ex eo, quod ad Lentulum in
 epistola scriptum est, fam. l. i. ep. 5. Pompeius
 apud populum ad viii. id. Febr. cum pro Milone
 diceret, clamore, conuicioq. iactatus est, in sena-
 tuq. a Catone asperere, & acerbe, omnium magno
 silentio, est accusatus. quod ipsum argumento est,
 reum de vi Milonem fuisse. nam etsi non de vi tan-
 tum, sed etiam de maiestate, ac de incestu, po-
 puli iudicium erat: ab horum tamen criminum
 suspicione Milonem abfuisse, eo quidem tempore,
 notum est. Et, Affuit, in foro; ubi cuiuslibet ge-
 neris exercebantur iudicia. Aduocatus] non ut
 pro Milone diceret, sed ut præsentia sua reum sub-
 leuaret. is enim aduocatus est, ut in Diuinatione
 Pedianus testatur. quarto igitur nonas Miloni ad-
 uocatus, octauo idus eidem patronus Pompeius ue-
 nit.

Commentarius in lib. I I.

nit. Marcellus] non dubito, quin M. Marcellum significet, eum, quem, post deuictum acie Pharsalica Pompeium, a P. Magio Chilone interfectum fuisse, Ser. Sulpicij ad Ciceronem epistola declarat. existimo autem potius Marcum significari, quàm aut Caium, eius fratrem, aut alium quèquam; quia & erat hic bonarum in rep. partium tutor, & Ciceronis amicissimus, & Milonis ipsius proprie studiosus, qui etiam ipsum, quo tempore de Clodij cade causam dixit, cum Cicerone defenderit. ut omittam, quòd, cum sine prænamine appelletur, de ipso potius, qui uirtute, & honore reliquis Marcellis antecellebat, quàm de quouis alio, accipiendum uidetur. Honestè discessimus.] hoc dicit, quia VIII. idus, quo die iterum Milo affuit, turpiter potius, quàm honestè, fugientes discesserunt. Interim,] inter quartum nonas, & octauum idus, habito senatu, referebatur de prouincijs quæstorum, & de ornandis prætoribus. fieri enim potest, ut non modo nonis, hoc est, die legitimo, uerum etiam tertio nonas, & pridie nonas habitus senatus sit; cum de tribus diebus potius, quàm de uno, significare uideatur dictio, Interim. De prouincijs quæstorum,] ut quæstores anni superioris prouincias sortirentur. cuius rei ad consules relatio pertinebat. quæstores autem sorte in prouincias iuisse, docet oratio pro Murena. Et de ornandis prætoribus] malim, prætorijs: ut de prouincijs intelligatur. quod probat latine loquendi

quendi consuetudo . nam in epist . ad Atticum lib .
 III . Antequam , inquit , ad me scripsissetis , ue-
 stro consensu consulares prouincias ornatas esse . ad
 eundem lib . IV . Qui se dicerent in ornandis prouin-
 cijs consularibus scribendo affuisse . et in epistola ad
 Catonem , fam . lib . XV . Prouinciam , inquit , or-
 natam , & spem non dubiam triumphum neglexi . po-
 terat enim facile triumphum sperare , cum ornata
 prouinciam acciperet , hoc est , exercitu , pecuniaq .
 instructam . id est enim ornare prouinciam . quod
 etiam diximus in commentario ad Atticum . Suspi-
 cor autem apud Suetonium in Iulio mendose legi ;
 Ac neque more , neque iure , antequam prouinciæ
 ordinarentur , profectus est in ulteriorem Hispan-
 nam ; & , pro ordinandis , reponendum ornandis .
 Querelis de rep .] cum essent in senatu , qui nõ
 de prouincijs agi , sed de rep . uellent . Quid igitur ,
 existet aliquis qui obijciat , non ad rempublicam
 prouinciæ pertinent ? sane : sed hic remp . accipio pro
 rebus urbanis : quæ maioris esse momenti , quàm
 prouinciæ , quibusdã senatoribus uidebantur : ideoq .
 reipublicæ nomine recte possunt appellari . Ca-
 to] C . Cato tribunus pl . qui triennio ante , Cæsare
 & Bibulo cos . Pompeium priuatus dictatorem ap-
 pellauerat . ep . 2 . Promulgauit .] proposui ,
 ut deinde legem ferret . hoc de more diximus in no-
 stro libro de legibus . Abrogando] non abrogauit
 tamen , Lentulo Marcellino consule dies comitiales ,
 quibus ferre legem Cato potuisset , omnes eximete .

Commentarius in lib. I I.

infra, 314. et ex epistolis, quæ familiares uulgo uocantur, satis constat, P. Lentulum non ante annũ spatium, quod erat administrandæ provinciæ legitimum, decessisse. Imperio] Ciliciæ administratio-
 ne. nam præfecti prouinciarum imperium habebat senatusconsulto & lege curiata. quanquam Appius P. Clodij frater, si curiata lex ferri non posset, ex senatusconsulto se esse in prouinciam iturum affirmavit. fam. l. 1. ep. 9. et ad Att. ep. 16. l. 4. Lentulo] Spitheri, qui anno proximo consul ab exilio Cicero-
 nem reuocauerat. uidetur autem hic Cato P. Clodij studiosus fuisse, qui contra Lentulum & Milonem, quorum in primis opera Cicero in patriam redierat, rogationes promulgauerit. infra, hac ipsa epistola. Mutauit.] sordidata ueste, ad commo-
 uendam misericordiam, sumpta: quod magnarum calamitatum in metu facere solebant: itaque, lege Clodia promulgata, uestitum & Cicero cum innum-
 erabili amicorum clientiumq. multitudine muta-
 uerat. Peregerat] Petrus Danesijs, quem habet Gallia clarissimum ingenij doctrinaq. lumen, cum Venetijs ad eum sæpe honoris causa in ædes Georgij Siluæ, Vaurensis episcopi, adolescentulus uentitarem, in sermone dixit, rectius legi posse, Semper egerat. quod idem mihi quoque nunc uide-
 tur. et optime duæ dictiones, interdum, semper, altera cum altera congruet: ut Pompeius silentio non sane semper egerit, sed interdum; cum auctori-
 tate uero semper. hanc enim operarum Clodij cla-
 mor

mor eripere nunquam potuit. Surrexit Clodius.] *edilis, Milonis accusator. Ore] cum immutatus color mentis sollicitudinem indicaret; contra quam Pompeio euenerat; qui, clamor operarum minime deterritus, cum auctoritate semper egerat.*

Hora VI.] *tertia diei hora, iudiciorum erat prima. docet hoc Martialis ille uersus, Exercet raucos tertia caussidicos. idem fere est hodie quoque in consuetudine positum. Clodiam] P. Clodij sororem, eam de tribus, ut opinor, quæ Q. Metelli Celeris uxor erat. nam etsi reliquæ item duæ, una, quæ Q. Marcio Regi, altera, quæ L. Lucullo collocata fuerat, male audiebant impudicitiae nomine, ut etiam cum fratre Clodio rem habuisse dicerentur: hæc tamen Metelli uxor, quam Quadrantariam esse appellatum, Plutarchus tradit, infamia praestabat. et hanc significat Cicero libro ad Atticum I I. cum appellat Βοάπριδα: et in oratione de haruspicum responsis, cum ait: Ne id quidem sentis, coniuuentes illos oculos abani tui magis optados fuisse, quam hos flagrantes sororis? in ea uero pro Caelio, non modo exagitat eam, quia stiroram concubitum, instigante libidine, nimium petulantier appetere, uerum etiam satis aperta suffigione capere, quasi uenenum Metello coniugi dedisset. Plebem fame necaret.] quasi Pompeius, qui res frumentarias præfesset, frumentum comprimeret. Alexandriam] restituendi Ptolemai causa. De Rosinis] non, quod accusatores in foro de Rosinis loquerentur;*

Commentarius in lib. I I.

tur; sed, quia Clodius, Milonis accusator, ædilis erat; & iure magistratus ad populum de Rostris uerba facere poterat. Senatus uocatus in curiam.] VIII. idus, hoc est, eo ipso, quo pro Milone Pompeius dixit, die. Licebat igitur factis diebus haberi senatum, iudicijs uidelicet confectis; nisi si quid maioris rei præscripi tempus cogeret. Curiam.] cum nihil additur, Hostiliam intelligi notum est. Bibulo] M. Calpurnio Bibulo; qui cum C. Cæsaris esse inimicissimus, generum eius Pompeium, & in ferendis legibus, hoc est in euertenda rep. consentientem, amare non poterat. Curione] C. Scribonio Curione, uiro consulari; oratore non postremo; cum tamen neque memoria, neque ulla omnino doctrina ualeret. pater eius Curionis fuit, qui ciuili bello Cæsaris partes secutus, in Africa est interfectus. Fauonio] M. Fauonio, Catonis æmulo in propugnatione reip. & loquendi libertate. occisus est inter captiuos a triumuiris, post Brutum & Cassium Philippensi pugna uictos. Seruilio filio] qui consul postea fuit cum C. Cæsare. et addidit, Filio, quia uinebat adhuc pater eius, P. Seruilius Isauricus. Bonorum] apparet, ab eo bonos uocari Bibulum, Curionem, Fauonium, Seruilium, quia libertatis causam contra extraordinarias Cæsaris, Pompeijq. opes tuerentur. Quirinalia] quæ erant XII. kal. Martij. Diem] accusationis. sed quero, qui potuerit Quirinalibus, hoc est, die festo, iudicium exerceri. hoc sane

sane mihi præter consuetudinem uidetur. nisi si potestas in eo singularis fuit ædilion civilium, atque omnino ceterorum magistratum. Ad Apollinis] non modo qui Græce sciunt, sed qui Latinas litteras uix primoribus, quod aiunt, labris attigerunt, in hoc loquendi genere subaudiri adem intelligunt. & senatum modo in templa, modo in sacras ades uocari solitum, ex Varrone constat; qui distinguit a templis ades sacras. Ut Pompeius adesset.] puto, quia prope templum Apollinis Pompeius habitaret: qui longius a suis ædibus discedere, metus Clodij, non audebat. ideo, paucis ante uersibus legitur, eum, senatu in Hostiliam curiam uocato, domesticis se parietibus tenuisse. Cato] tribunus pl. quod iam diximus; qui antea Pompeium dictatorem appellauerat, nunc, mutata uoluntate, uehementer eundem accusat. Me inuito] nam cur laudari se ab eo uellet, quem contra suæ salutis auctores, Milonem, & Lentulum, rogationes uideret promulgasse? Perfidiam] cum Pompeius contra fidem suam Ciceronem destituit, pelliq. in exilium a P. Clodio passus est. Maleuolorum] eorum, quibus immoderata Pompeij potentia grauis erat. ex his quattuor iam nominauit. hac de re fam. lib. i. Descripsit] non nominatim appellauit, sed quasi quibusdã coloribus ita depinxit, ut, eum notari, homines intelligerent. Africanus] minor: cuius uita non extat; cum tamen eam Plutarchus litteris mādauerit, ut ipse testatur in Gracchis.

Commentarius in lib. I I.

C. Carbo] de gente Papiria, tribunus pl. quo Africanus interfectus est anno . is, accusante L. Licinio Crasso, singularis eloquentiæ viro, cantharidas sumpsisse dicitur. sam. lib. I X. & in Bruto. Plutarchus tamen in Gracchis suspicionem ait fuisse de M. Fulvio, & C. Graccho, neque Carbonem nominat. in epitome Liuiana, libro LIX. eius facinoris culpa in Semproniam confertur, Africani uxorem, Gracchorum sororem, quibus cum similtates Africanus exercuerat. Cic. in Lælio, epitome Liuiana, Velleius l. 2. Plutarchus in apophth. Appianus lib. I. de bel. ci. Suppeditari] a Crasso, Romanorum omnium ditissimo, Pompeij potentiæ semper infenso. Concionario illo populo] ea maxime populi parte, quæ ad conciones tribunorum pl. facile solet accurrere. quam populi fecem appellat infra. Alienato] nam ante popularis maxime fuerat Pompeius, cum alijs de causis, tum ob eam, quod populo tribuniciam potestatem, ereptam a L. Sylla dictatore, consul restituerat. Alienato autem, quia Pompeius Milonem, inimicum P. Clodij, accusatum ab eo, defenderat. infra. Nobilitate] de principibus loquitur ciuitatis, Crasso, Bibulo, Curione, & alijs. ep. 2. diximus enim iâ, nobiles esse dictos non patricos tantum, sed quicumque honoribus ac dignitate pollerent. Non æquo fenatu] non optime in ipsum animato. argumentum eius rei minime dubium habebat, quod C. Cætonis orationem magno silentio audiri, hoc est com-
probari,

probari, uiderat. Iuuentute] quæ nec antea
 Pompeium amauerat. ad Atticum lib. II. Qui
 rinalia] quo die Milonem Clodius erat accusatu-
 rus. Magna manus] clientum, Pompeij, Cice-
 ronis, Lentuli, Milonis. Ut etiam] ut non modo
 Clodius aliquid in nos per uim agere non possit, sed
 nec Cato rogationes eas perferre, quas de Milone
 & Lentulo promulgauit. De Milone] quid Ca-
 to de Milone promulgasset, compertum non habeo:
 nisi si hoc, ut, quando gladiatoribus, & bestiaris
 contra leges esset usus, pœnas daret. hoc mihi ui-
 deor posse conijcere ex illis uerbis, quæ sunt infra,
 ep. 5. Ille uindex gladiatorum, & bestiarierum.
 Lentulo] ut ei abrogaretur imperium. Resista-
 mus.] si per uim eas perferre conetur, auspicijs,
 aut intercessionibus, aut denique legibus neglectis.
 Sextius] Publius, qui anno proximo tribunus pl.
 cum septem collegis de Cicerone restituendo rogatio-
 nem pertulerat. Indice] non in hac causa indice,
 cum esset accusator, sed Indice; quod ante quasi co-
 gnomen illud, ex aliquo fortasse indicio, accepisset.
 Pupinia] ex tribu Pupinia. sic enim loquebantur;
 quod Pedianus notauit. Pupiniam inter tribus rursi-
 cas fuisse, & ab agro Pupinio nuncupatam, ex Fe-
 sto, alijsq. cognoscitur. uerum de tribubus diximus
 alio loco satis multa. De ambitu] quod tribu-
 natum plebis, corruptis pecunia tribubus, cepis-
 set. aut intelligendum de quaestura, quam gessit Ci-
 cerone et Antonio cos. quod ex oratione pro ipso co-
 gnosci-

Commentarius in lib. I I.

gnoscitur. Postulatus] apud prætorem. iudiciū enim de ambitu prætor exercebat: itaque subiungit proxime. Dixi pro Bestia de ambitu apud prætorem Cn. Domitium. Postulare autem simpliciter accipit Ulpianus pro, in iure agere contra aliquem. ego duobus modis expono; ut postulet is, qui nomē alicuius defert apud magistratum, et postulet idem, cum, post nominis delationem, in iure agit, hoc est contra reum uerba facit. Vtrunque probabimus, recitatis e Cicerone exemplis. Ac primum quidem uel hic ipse locus, de Sextio postulato, indicat, accusationi postulationem antecedere. nam infra sequitur: De ijs, quæ in Sextium apparabantur crimina. non dum igitur acta causa erat, cum dicat, apparabantur. Accedit illud, quod est in epistola prima libri IIII, ad hunc ipsum. Gabinium tres adhuc factiones postulant; Lentulus, qui iam de maiestate postulauit; Ti. Nero, C. Memmius. ad urbem accessit ad XII. Kal. Oct. nihil turpius, nec desertius. sed de iudicijs nihil audeo confidere. et in eodem libro, admodum aperte: De ambitu postulati sunt omnes, qui consulatum petunt, a Memmio Domitius, a Q. Curtio Memmius, a Q. Pompeio Messalla, a Triario Scaurus. magna res in motu est: propterea quod aut hominum, aut legum interitus ostenditur. opera datur, ut iudicia fiant. Et in Vatinium: Postea quam es postulatus, ex legatione redijsti, ne quis te iudicia defugere arbitraretur. Et in epistola Cælij: Pilius de repetundis eum

postulavit : magna illico fama surrexit ; & de dam-
 natione feruenter loqui est ceptum . Postulatio igi-
 tur , quod ex his locis facile liceat intelligere , accu-
 satoris actionem anteit , quod si ita est : aut postula-
 tio , nominis est delatio ; aut , quid praeterea esse pos-
 sit , ego quidem non uideo . Rursus , postulare , non
 esse idem , quod nomen deferre ; locum habeo , qui
 clarissime demonstrat . scribit enim haec Caelius in e-
 pistola ad Ciceronem : Non dubito , quin perlatum
 ad te sit , Appium a Dolabella reum factum . et paul-
 lo post : Illud mihi occurrit , quod inter postulatio-
 nem & nominis delationem uxor a Dolabella disces-
 sit . Quid igitur ? an sibi ueteres non constabant , et
 modo hoc , modo illud ? ego hanc inconstantiam non
 appello , sed libertatem , qua in usu angustius usurpa-
 rent ; latius , ut cum , postulare , dicebant pro , ac-
 cusare , sicuti nunc de Sextio postulato dixit Cicero ;
 angustius , ut cum propriam uerbi significationem
 intelligi uolebant ; quale illud , ex epistola Caelij , quod
 recitauimus , Inter postulationem & nominis dela-
 tionem . Sic , accusare , modo ualet nomen deferre ,
 modo causam , ipsam iudicio contra reum agere .
 exemplis abundamus . A quodam M. Tullio]
 cui cognomen fuit Albiniano ; quod interrogatio
 in Vatinius docet . De ui] apud M. Aemilium
 Scaurum praetorem , ut ipsa Ciceronis oratio decla-
 rat . uim autem re uera non attulerat , sed passus e-
 rat Sextius . quod in oratione pro eo multis uerbis
 probauit Cicero : indicesq. ita esse crediderunt . ab-
 solutus



Commentarius in lib. II.

solutus enim est Sextius omnibus sententijs; ut infra in epistola proxima. Ut debuimus] ob eius in nos merita: quia tribunus pl. nostram causam studiosissime iuuerat. IVRE succensere ob eius peruersam, morosamq. naturam. sic enim de eo scribit in epistola sequenti. Itaque faciemus] nostram operam, ut polliciti sumus, ita præstabimus. Edidit ad allegatos] præter eos, quos aiebat esse se conscios, & participes eiusdem criminis, nominavit Cn. Lentulum, & C. Cornelium. eodem sensu dixit in oratione pro Cluentio, Crimē Oppianici iudicio Aiulij probabatur; in quo inter allegatos Oppianici nomen primum esse constabat. Eodem die] ergo, ut iam diximus, & iudicia, & senatus eodē die. Sodalitates] sodalitates in urbe fiebant multarum rerum causæ. hic de sodalitatibus intellige ambitus causæ factis, quæ coitio dicebatur. Decuriatiq. & uerbum, decuriare, & decuriæ sepe non pro decem tantum hominibus, sed pro aliquo numero in unum coactō, & tanquam in decuriam descripto, eiusdem rei tractandæ causæ. sic Philip. v. Non improbos decuriabat? non sollicitabat agrarios? Et in oratione pro Plancio sepe utitur hoc uerbo, cum loquatur de ambitu: item in Verrem, & alijs in locis. Discederent] de campo Martio; cum ad creandos magistratus, qui eo anno creati ob factiones nondum erant, populus conuenisset. De-ui] publica: nam priuatam leuior pœna sequebatur. de publica uero condemnati, præsertim

fertim homine necato, ciuitatem amittebant. dixi
 mus copiose in libro de legibus. Bestia] L. Calpur
 nio Bestia, qui consulatum Ciceronis reprehendere
 solitus est. a quibus enim iniuriam tulerat, eos se-
 pe Cicero defendit, ut P. Vatiniū, A. Gabiniū:
 eiusq. rei causam exponit his uerbis in epistola ad
 Matium: Cogor non nunquam homines non optime
 de me meritos, rogatu eorum, qui bene meriti sunt,
 defendere. De ambitu] puto Bestiam de ambi-
 tis ob emptam praturam esse accusatum, et condem-
 natum. nam, nisi iudicio notatus esset, nunquam
 de familiaritate Bestiae, de opera ei nauata in peti-
 tione praturae, accusator obieciisset M. Caelio. qua
 de re Cicero sic in oratione: Ac prima pars fuit il-
 la: fuisse Bestiae Caelium familiarem, cenasse apud
 eum, uentitasse domum, studuisse praturae. Cn.
 Domitium] Caluinum, qui post biennium con-
 sul fuit cum M. Valerio Messalla: tribunatum pl. ges-
 serat, consulibus Casare & Bibulo; ut in oratione
 pro Sextio: praturam gerit hoc anno, id est consu-
 libus Lentulo & Philippo; quod item eadem pro
 Sextio, & interrogatio in Vatiniū demonstrant.
 In foro medio,] non enim semper in foro, sed pro
 arbitrato, modo in hac, modo in illa urbis parte pre-
 tores tribunal habebant: omnes tamen & eodem si-
 mul in loco, & ubi magistratus initio, ibi per to-
 tum annum. In libro de iudicijs. Maximo con-
 uentu] Taciti uerba sunt haec in dialogo de orato-
 ribus: Satis constat, C. Cornelium, M. Scarrum,

Commentarius in lib. 11.

T. Milorem, L. Bestiam, P. Vatinium, concursu
totius civitatis & accusatos, & defensos. Accep-
tis,] a Clodianis, cum esset tribunus pl. Legatur
oratio pro ipso. Προφρονουστάμην] tanquam bonus
caussa Sextianæ gubernator præmunivi quiddam
oportune, cum pro Bestia dicerem, quod in Sextij iu-
dicio prodesse posset. Eum] Sextium potius, quam
Bestiam. Veris] vere enim & in quaestura & in
tribunatu plebis rationibus reipublicæ fuerat utilis-
simus. Eius nuptiis] cum Piliam duxit uxorem:
ex qua suscepit Atticam, quæ deinde Agrippæ nu-
psit. hinc error pater eorum, qui legendum putant
in Attici vita, Statuas aliquot ipsi & Pilæ posue-
runt: cum (omitto alia ornamenta) statuas illas
adolescenti Attico posuerint Athenienses, Piliam
autem uxorem duxerit iam quinquagenarius. Lu-
cum Pisonis] qui in regione urbis, antiqua mo-
numenta non indicant. Kalendas Quintas.] is
dies terminus erat locaturum adium. Suet. in Tibe-
rio, & Martialis lib. & 12. epigr.

„ O Juliarum dedecus Kalendarum.

Carinis] in quibus erat auita Ciceronis domus.
eam fortasse Quintus in diuisione bonorum a fra-
tre acceperat. P. Victor in regione quarta. Mun-
di] amatores elegantie. Camiæ] cuius gen-
tis hoc fuerit cognomen, non aum reperi. uiden-
dum est, an Lamiæ, legi possit; qui ex gente Ae-
lia fuerunt. Olbientem] Olbia datam. ep. 5.
Hiems] qua parte anni non ita morbis tenta-

mur.

epist. ad Q. fratrem. 89
mur. Sardiniam] *provinciam graui caelo ; eoq.
te diligentius cura.*

E P I S T O L A I V .

Iisdem consulibus .

ABSOLVTVS] *iudicio de ui, accu-
sante M. Tullio Albinouano . extat Cice-
ronis oratio . nam iudicium de ambitu fa-
ctum esse non existimo , forte quia Nerius accusan-
di consilium abiecerit . Oppugnabatur ,] dixit
enim testimonium Vatinius in Sextium . Arbitra-
tu nostro] cum id mihi per omnes , quatenus ego
uellem , liceret . itaque infert , Dijs , hominibusq.
plaudentibus . pessime enim Vatinium omnes pæne
homines oderant . ex quo Catullus , Odissem te odio
Vatiniانو . Macrobius libro II . Satur . Lapidatus
a populo Vatinius , cum gladiatorium munus ede-
ret , obtinuerat , ut ædiles edicerent , ne quis in are-
nam nisi pomum misisse uellet . forte ijs diebus Ca-
sellijs iurisconsultus consultus a quodam , num nux-
pine a pomum esset , si in Vatinium missurus es , in-
quit , pomum est . Productus] cogebantur legi-
bus , atque etiam nunc coguntur homines , uel in a-
micissimos , postulante accusatore , testimonium di-
cere . produci autem testes dicebantur , siue uolon-
tarij , de quo uellent homine , siue coacti legibus , in
quem nollent , testimonium dicerent . de uolontarijs*

M exemplum

Commentarius in lib. 11.

*exemplum illud habemus (ut omittam alia) in Vatini-
 um: Cum in eundem nuper ab eadem illa furia
 productus ad populum cupidissime falsum testimo-
 nium dixeris? de coactis legibus, hoc, de Paulo in
 Sextium producto. Nomen Vatini delaturum.] non enim accusandi Vatini materia deerat.
 ita multa praeter leges commiserat. quod in ipsum
 Ciceronis interrogatio significat. Macer Lici-
 nius] unus de Sextij patronis, & forte Licinius il-
 le Caluus, eloquentiae laude insignis, filius C. Ma-
 cri, qui reus Cicerone praetore de repetundis factus,
 cum se damnatum iri uideret, uoluntaria morte ia-
 cturam rei familiaris effugit. qui enim in reatu, ut
 iurisconsulti uerbum usurpamus, obierat, eius bona
 subijci haec leges uetabant. Plutarchus, Valerius.
 Cunctaretur] nisi statim Licinius Vatini ac-
 cusaret. Subfelliis] erant subfella iudicum, reo-
 rum, accusatorum. Illi] Vatini potius, quam
 Paulo: hoc est, se esse Vatini diem dicturum affir-
 mauit. quod uidetur fecisse. nam Tacitus in dialogo
 de oratoribus maxime probat accusationes Calui,
 quae in Vatini conscribuntur, ac praecipue secun-
 dam orationem. Debilitatusq.] animo fracto,
 ac demisso, refertur enim ad, Audax: Perturba-
 tus uero ad, Petulans. Tyrannio] satis usita-
 tum grammaticis nomen. nam & is, qui Aristote-
 lis Theophrasti q. uolumnia, dictatore Sylla Athe-
 nis reperta, digessit, Tyrannio dictus est. Apud
 me] domi meae, non, ut ante, domi tuae. Vtrius-
 que*

que nostrum] de una domo sermo uidetur esse; cum sequatur, Spero nos ante hiemem conturbemales fore. et rursus duas domos illud ostendit, Redemptori tuo dimidium pecuniæ curari: & illud, quod utriusque domos Clodius euerterat, atque inflammarat, ut est ad Atticum 55: item illud, quod hic infra subiicitur: In arcam tuam ueni: et, Domus erit egregia: et, Itemq. nostra celeriter edificabatur. quare statuamus fuisse domos omnino duas, quæ inuicem contingerent: ut, cum in suis uterque ædibus habitaret, conturbemales tamen essent, quia domus utriusque nullo interiecto spatio disiungerentur. Redemptori tuo] Longilio. Crassipede:] Furio. nupsit Tullia tribus, contra Pediam Plutarchiq. sententiam, primum L. Calpurnio Pisoni Frugi, deinde Furio Crassipedi, postremo P. Cornelio Dolabellæ. Piso Cicerone perijt exsulante, Crassipes Tullia nuntium remisit, an e uita excesserit, incertum est: Dolabella diuortium fecit. hæc, ipso suis in libris narrante Cicerone, cognoscuntur. Latinas] si Varronem & Macrobius sequamur, antiquitatis utrunque peritissimum, conceptiuæ feriæ erant Latinae, non statiuæ; concipiebanturq. in dies uel certos, uel incertos. Linius tamen statiuas indicat fuisse, cū ait libro xxv. Romæ consules, prætoresq. usque ante diem v. kal. Mai. Latinae tenuerunt. eo die perpetrato sacro in monte, in suas quisque prouincias proficiscuntur. non enim simile ueri est, consules, cum uictor An



Commentarius in lib. I I.

nibal uastaret Italiam, consulto in v. kal. Mai. qui dies a primo initi magistratus die, hoc est ab idibus Martij, XLIII. dierum spatio distat, Latinas distulisse; ut ipsi sibi diutinae in urbe mansionis necessitatem imponerent: cum ire in prouincias neque consulibus, neque praetoribus liceret, nisi Latinarum sacro perpetrato. aut igitur eas e Statinis in ordinem conceptiuarum postea transisse credendum est: aut latentem causam alij perscrutentur. placet enim indicare, in quo, cum ipse mihi non satisfaciam, eorum, qui magis ingenio doctrinaq. praestant, elaborare possit industria. Religiosi] quibus aut priuatum, aut publice quidquam fieri, maioris momenti quod esset, religio uetabat. Confectum] eò perducta res erat, nihil ut iam esset reliquum, nisi ut mulier uiro desponderetur. quod postea factum est nonis Apr. ut ex epistola, quae sequitur proxima, intelligitur. Latiar] mendosa uox: & in menda consentiunt ueteres libri. multa mihi, de correctione cogitanti, ueniunt in mentem, nec tamen quidquam, quod magnopere probem. Lucceius erat exiturus, legi possit, si sententia tantum spectetur: sed affinitas abest illa litterarum, quam ego in locis emendandis maxime quaero. Lucceium quidem exiturum fuisse, & in Sardiniam iturum, in ea, quae proxima sequitur, epistola his uerbis scriptum est: Lucceium conuenire non potueram, quòd abfuerat: uidere autem uolebam, quòd eram postridie Roma exiturus, & quòd ille in Sardiniam

diniam iter habebat. Possit etiam reponi, Latiare, & coniungi cum antecedentibus uerbis: ut sit: Ceteroqui confectum erat Latiare, dei de: Erat exiturus. ut hoc dicat: De Tuscia & Crassipede alioqui confectum erat, confectum autem ipsi Latinarum die. nam Latiare, latinarum sollempne significat: quod ex Macrobio constat, hanc ego amarem confectionem: uidetur enim, ut ita dicam, uerecunda; quia fit unius tantum litterae adiectione, & eius litterae, quae prima sequentis dictionis est, ex quo minor quodam modo licentia uidetur: cum, litteram aut elidere, aut addere in ultima dictione, quae sit eadem cum prima dictionis insequentis, unum sit de privilegijs illis, quae ueterum scripta corrigentibus iure conceduntur. ergo, ut illa prior emendatio placet in sententia, displicet in litteris: ita haec contra, cum in litteris maxime, in sententia tamē haud ualde probatur. nam illud, Ceteroqui, uniuersum quiddam, quod non uno tempore de nuptijs actum sit, significat. Latiare, autem si addatur, quo dies unus intelligitur; nimis in angustum uniuersum illud contrahetur. uerum ego fortasse calumnior, praenimio studio ueritatis; & imitor Caluum illum, qui cum optimam in dicendo rationem quaereret, nimium inquirens in sese, metuensque, ne uitiosum sanguinem colligeret, uerum etiam deperdebat. quare satis habeamus, quae nostra sententia sit, ostēdisse. uera sit, an secus, uolo diiudicandi potestatem ad alios pertinere. Erat exiturus.] Crassipes, rediturus

Commentarius in lib. I I.

*diturus post duos religiosos dies . aut , si cui , Erat ,
referri ad Crassipodem non placet ; eidem fortasse ,
Eram exiturus , placebit ; si modo , uere hoc a Cice
rone de se ipso scribi posse , intellexit . intelliget au
tem ex illis uerbis , quæ sunt infra : Luceium uide
re uolebam , quod eram postridie Roma exiturus .*

E P I S T O L A V .

Iisdem consulibus .

D E D E R A M ad te litteras] hoc , us-
que ad illa uerba , Ad pedes uniuscuiusque
iacentem , librarij , genus hominum indi-
ligens , atque imperitum , longe a sua sede transu-
lerant , & ad alterius epistole partem , ipsam quo
que quasi membrum a suo corpore auulsam , agglu-
tinauerunt . mihi hanc perturbationem ostendit ra-
tio temporis , & earum rerum ordo , de quibus ad
fratrem in his epistolis Cicero scribit . Bessarionis li-
ber dissentit ille quidem ab impressis , mendo tamé
minime uacat . nam hoc totum , a uerbo , Dederam
ad , iacentem , principium est in eo epistole , sequun-
turq. continenter illa uerba , In eo multo sumus supe-
riores ipsius copijs ; quæ sunt in epistola , cuius ini-
tium est , Scripsi ad te antea superiora . quæ quàm
sint præpostere coniuncta , cuius , paullo attentius
ea consideranti , dilucide patebit . cum igitur neque
uulgatum in libris impressis ordinem ullo modo
probarem ;

probarem; neque mihi, uerus alioqui ac certus ubi que fere, Bessarionis liber hac quidem in parte satisfaceret: dedi me ad considerandum subtiliter argumentum, ut eo quasi filo ad ueritatem peruenirem. Primum agit Cicero de Tullia pridie non. Apr. Crassipedi desponsa. deinde subiungit, uelle se, quæ post eum diem acta sint, perscribere. quis igitur pridie non. Aprilis consequitur dies? non. e. ab his igitur quasi narrandi capit initium, cum ait: Nonis Apr. senatusconsulto Pompeio pecunia decreta in rem frumentariam. Nonis autem quis proximus adiunctus est dies? VIII. idus. erant igitur mihi, huius libri epistolæ peruoluendæ, donec acta VIII. iduum Apr. inuenirem, inueni. est enim illud: Ad VII. id. Apr. sponsalia Crassipedi præbui. & quæ deinde connexa his pone sequuntur. quod autem infra impressum est in nostro libro, Ad VI. id. Apr. non, ut in alijs libris, atque adeo in manuscriptis, Ad III. id. Apr. id feci coniectura ductus, contra ueterum librorum consensum. tres porro, cur in hanc opinionem uenerim, habeo causas, unam, quòd Cicero id agit, ut continuatos aliquot mensis Aprilis dies persequatur: itaque a die pridie non. Apr. ad nonas transijt, a nonis ad VIII. id. ab VIII. id. autem ad III. id. omisso quattuor dierum spatio, nunquam opinor transiecisset. quid enim? nihil ne daret illi ad scribendum de quattuor diebus ullus? totum ne qua triduum Cicero dormiuit, ut nihil omnino ipse ageret, nihil, actum ab a-

Commentarius in lib. I I.

*lij*s, posset cognoscere? prorsus credibile non est.
Altera, cur *VI. pro III. reposuerim*, causa illa
 fuit, quod *Ciceronem*, qui *sumum* quendam in
Quintum fratrem his omnibus epistolis amorem
 declarat, *Quintum filium*, & *unicum filium*, ita
 neglexisse uix crediderim, ut, eius inuacitudine au-
 dita, non eum, nisi quattuor dierum interposita mo-
 ra, uisitauerit. Postremo, qui fieri poterat, ut *mé*
dosa dies non esset, cum *infra* dicat *Cicero de Luc-*
ccio: *Erat autem iturus ad III. id. Apr.* ex quo pa-
 tet, ante *III. id. Apr.* epistolam certe scriptam es-
 se. quocirca, *quin VI. id. aut VII. id.* (ut statim
 post sponsaliorum diem, nulla facta mora, ierit ad
Quintu) rectius multo sit, quam *III. id.* mihi qui-
 dem nō uidetur esse dubitandum. erunt igitur hęc
 quattuor dierū acta: *Pridie nonas desponsa Tullia*;
nonis decreta a senatu Pompeio pecunia, et actum
de agro Campano, Flaccus de collegio eiectus; VII.
aut VI. id. iuit ad Quintum filium, in aream uenit,
ad Pompeium delatus, Lucceium conuenit. De-
sponsam] hęc litteræ, de *Tullia Crassipedi despon-*
sa, nō extant. non enim de proxima superiore episto-
 la licet intelligere: in qua scripsit, *Spero nos cum*
Crassipede confecisse. quibus uerbis non, despon-
sam esse Tulliam, significat, sed sperare se futurum
ut despondeatur. Addo illud. litteræ de Tullia despon-
sa datæ sunt pridie non. Apr. hoc est in ipso, quo
desponsa est, die. nam in hac epist. quæ post pridie
non. acta sint, persequitur. at proximas superio-
 res

res quis credat pridie non. Apr. dat. is, cum de Sextio III. id. Martij absoluto significet? eò ne usque tantam rem, tam expectatam Quinto, distulisset? postremo, cum hic dicat Cicero, se scripsisse in ijs literis de re publica, & priuata; hoc in superiores literas nos conuenire, satis patet. uerbum enim de re publica nullum prorsus habent. Rem frumentariam] cui senatus populusq. Pompeium, annonæ subueniendæ causâ, præfecerat. ad Atticum lib. IV. HS MCCCC.] his notis non, mille quadringenta, quòd fortasse aliquis existimet, sed, millies quadringenties, intelligitur. millies autem quadringenties ualeat, quadragies biscentena nullia aurcorum scutatoris pecuniæ nostratis: ut ueterem numariam rationem ex Plinij potius, et Celsi, quàm ex Budæi, sententia exponamus. neque mirum est, in tanta annonæ caritate tantam uim pecuniæ in emptionem frumenti fuisse necessariam. nam, cum populus Romanus his temporibus hominum CCCC. millia censeretur; quod a Liniò traditum esse, epitome demonstrat; præterea, cum peregrinorum, cum seruorum infinitus prope numerus esset; annonæ uero subueniri, non per unum mensem, sed usque ad messem, hoc est, per tres menses, necessitas cogeret: immensus erat frumenti numerus, qui tantæ multitudini satisfaceret, uidendus: quæq. item ad emendum frumentum sufficeret, ingens erat pecunia comparanda. quod ita esse, si quis cogitauerit, multis partibus plures fuisse seruos, quàm ciues;




Commentarius in lib. I I.

ues; (ut peregrinos omittam) is, opinor, habita
 grauis admodum annonæ ratione, mecum existima
 bit. De agro Campano] cum enim agri Cam-
 pani partem, plebi diuidendam, emi a priuatis pe-
 cunia publica Cæsar, lege lata, uoluisset; nec pecu-
 nia suppeteret: factum est s. c. nonis Apr. in sen-
 tentiam Ciceronis, ut de agro Campano idibus Maij
 frequenti senatu referretur. fam. lib. 1. ep. 9.

Inopia pecuniæ] eius, qua senatus agrum Cam-
 panum ex lege Cæsar's emeret. Ne illud qui-
 dem] quod eodem die, hoc est non. Apr. factum
 est. singulorum enim dierum acta Cicero persequi-
 tur; & post hanc de Flacco mentionem, pergit ad
 VIII. id. Apr. hoc est, ad eum diem, qui post no-
 nas primus est. Equitem Romanum] uide, non
 eam modo plebem, quæ infra equestrem ordinem
 censeretur, sed ipsos quoque equites in collegia di-
 stributos fuisse. uerum & collegia turpia fuere, ut
 opificum, & honesta, ut rei diuinæ causâ, cum equi-
 tum etiam, ac senatorum sodalitates fiebant. Opi-
 ficum uero collegia, multis & s. c. & legibus, su-
 blata, ut a Pediano traditum est, restituit lege lata
 P. Clodius tribunus pl. qui etiam noua quædam ad-
 didit, ex omni fece urbis ac seruitiorum, ut in Pifo-
 nem Cicero dixit, constituta. Non igitur, in ea col-
 legia esse adscriptum, honori fuit, quæ senatus at-
 que etiam populus sæpe damnauerit, & in quibus
 sordidi ac sedentarij opifices, ut fabri, pistoresque,
 uersari solebant, at uero sodalitates quasdam ne


ingenuo dignas homine non existinem fuisse, Ca-
 tonis auctoritas facit, grauissimi uiri; quem de
 sodalitatibus, quasi honesta de re, loquentem in-
 duxit Cicero in libro de senectute. Sodalitates, in-
 quit, me questore sunt constituta. Nec dubito,
 quin sacrorum causa. subiungit enim: Sacris I-
 daeis Magnae matris acceptis. Itidem igitur colle-
 gium illud, quo Flaccus est eiectus, de sacris re-
 bus, ad Mercurij Iouisq. Capitolini templa perti-
 nentibus, non artis sedentariae causa, fuisse consti-
 tutum, facile licet existimare; cum equester or-
 do, quo ex ordine Flaccus erat, mœchanicas artes
 non exerceret. Capitolini & Mercuriales]
 duo genera hominum, ex quibus collegium illud,
 unde Flaccus est eiectus, constabat. forte ita dicti,
 quia prope tēplum Mercurij, propeq. Capitolium,
 aut etiam in ipso Capitolio habitarent. Sponsalia
 Crassipedi præbui.] aliud igitur est despondere,
 aliud sponsalia præbere: cum desponsa Tullia sit pri-
 die non. Apr. sponsaliorum uero dies fuerit VIII.
 id. Apr. quid autem sit, sponsalia, ipse indicat,
 cum ait, Huic conuiuio. Commotus] morbo
 potius, quam iracundia. nam sequitur: Ad Quin-
 tulum ueni, eumq. uidi plane integrum, quod est be-
 ne ualentis. unde integrum corpus, integra ualetu-
 do. præterea, puto, indecorum, minimeq. sua per-
 sona dignum Cicero existimasset, uenire ad Quin-
 tulum puerum, ut eum iracundia commotum leniret.
 Veni] ergo non erat Quintus apud ipsum. quod
 su-



Commentarius in lib. I I.

supra inde patet: Tyrannio docet apud me. nisi si,
 Docet apud me, non quod apud eum Quinctus ha-
 bitaret, intelligamus; sed quod, quas diei horas co-
 gnoscendis litteris daret, per eas horas eum apud se
 Cicero uellet a Tyrannione erudiri; ut, quo ingenio
 ac uoluntate Quinctus puer, qua etiam fortasse di-
 ligentia, qua ue doctrina esset Tyrannio, posset ani-
 maduertere. Mulierum nostrarum] Terentiae,
 & Pomponiae. raro enim fit, ut inter duas duorum
 fratrum uxores conueniat. ac saepe carissimorum fra-
 trum suauissimae coniunctiones earum dissensione
 dirimuntur. quod ipsemet, magno rei familiaris
 detrimento, maiore animi dolore, sum expertus.
 Festiuius] amabile quiddam est in pueris; quod si
 uerbis pluribus uelim describere, dicam esse id, quod
 aduersatur seueritati. itaque & in epistola ad Tor-
 quatum, Res, inquit, molesta est, ab ijs pueris ab-
 esse, quibus nihil potest esse festiuius. Etiam de
 te] ne Quinctus comoueat, quia dixerat, De dis-
 cordijs mulierum nostrarum, placato iam animo es-
 se Pomponiam significat, quae apud ipsum de longio-
 re, quam uellet, coniugis absentia familiariter ac
 libere quæta sit. Multis structoribus] in
 ædificando utimur opera architecti, qui formam fa-
 cit ædificij; redemptoris, qui totum opus impensa
 studioq. suo faciendum conducit; (ut interdum ta-
 men architectus redemptoris item partes agat) stru-
 ctorum, qui calcem & lateres tractant; fabrorum,
 qui lapides aut ligna cadunt. Forma] quam
 Mi-

Minucius fecerat. ep. 2. Redderet] non ut te se-
 cum Romam reduceret, sed ut te statim huc remit-
 teret. Labrone] non dubito, quin de Ligurni,
 ut nunc appellant, portu intelligat. uocem corrumpit,
 ut alias innumerabiles, uetustas. *Ἀμφιλοφίαν*]
 cum epistola Quincti, cui respondet Cicero, non ex-
 tet: diuinare, quid sit *ἀμφιλοφία* hoc loco, nostrum
 non est. non enim placet eos imitari, qui, ne quid
 nescire uideantur diuersas in opiniones leui conie-
 ctura feruntur. Bono modo] non, omnino,
 sed, quadam ex parte: *μετρίως* quòd Græci dicunt:
 ut, Bono, temperamentum quoddam, non, ut ali-
 bi, magnitudinem significet. sic ad Atticum lib.
 XIII. De die tantum uidebis, & id ipsum bono
 modo. sed hoc aliquanto apertius ostenditur lib.
 II. Acad. in quo hæc sunt: Hanc tibi, Luculle, si
 es ascensus Antiocho, familiari tuo, tam sunt defen-
 denda, quàm mœnia: mihi autem bono modo, tan-
 tum, quantum uidebitur. Liberalius] quòd mi-
 nus restrictè sumptus faceret, quòd uiuendi ratio-
 nem non ea, qua solitus erat, frugalitatis regula me-
 tiretur. Opuserat] opus erat ad relaxationem
 animi mei, ut paulisper ab his tumultibus secederè,
 ac fabris locum darem. defessus enim iam sum ex
 molestia, quam illis urgendis capio. id igitur face-
 rem, si te haberem: tu enim, absente me, meam
 uicem eos exerceres. nunc eo non licet, quia, si pe-
 dem hinc mouero, nemo fururus est, qui præsentia
 sua illos in opera contineat. Sed et hæc] dix-
 rat



rat iam, Sed hac coram agemus, cum de discordijs
 mulierum meminisset. recte igitur usus est particu-
 la, & : ut significet uelle se non illa tantum superio-
 ra, sed & hac presentis sermoni referuare. atque
 hac de causis una fuit, qua me, ut hanc epistola
 partem, qua incipit a dictione ἀμφιλογία, usque ad
 extremum, cum ea parte, in qua mentio fit de discor-
 dijs mulierum, connecterem. Res Romanæ]
 a priuatis rebus ad publicas sermonem traducit. et
 cum dixit res Romanæ, potius quàm publicæ, fe-
 stiuum simul et amplum quiddam uidetur adamas-
 se: quòd, cum hac uox, res Romanæ, magnum
 aliquid præferat, ipse tamen ea significet, quæ
 infra Romani nominis dignitatem sint. unde & il-
 lud ad Atticum ep. 15. l. 4. Nunc Romanas acci-
 pe res. & ad eundem, quo in loco certum non ha-
 beo, sed ad eundem certe: Iam exclames necesse est,
 res Romanas diutius stare non posse. et hic, infra:
 Res Romanæ sic se habebant. Lentulus] Mar-
 cellinus; quem hoc anno consulem fuisse cum Mar-
 cio Phiippo, iam dixi. Collega] cum sua spon-
 te bono, tum, ut opinor, consilio maxime, atque
 exemplo M. Catonis, generi sui. Plutarchus.
 Exemit] sustulit: effecit, ne per eos lege agi pos-
 set: ne scilicet C. Cato tribunus pl. quis de P. Len-
 tulo Spinthere, et Annio Milone rogationes promul-
 gauerat, eas perferre posset. tollebantur autem
 comitiales dies cum alijs rationibus, quas in libro
 de comitijs attigimus, tum ferijs indicendis: cum et

comitalis, & festus dies idem esse non posset. Etiam Latinæ instaurantur] cum dicat, etiā, liquet, non instaurandis modo Latinis exemptos esse a Lentulo comitiales dies, sed alio etiam genere impedimenti, cuiusmodi erat, seruare de cælo. nā etsi augur non erat Marcellinus: nihil tamen obstabat, quin, pro potestate consulatus, seruare de cælo posset. quod aperte demonstrant illa uerba in oratione secunda in Antonium: Hic bonus augur co se sacerdotio præditū esse dixit, ut comitia auspicijs uel impedire, uel uitare posset. in quo primum incredibilem stupiditatem hominis cognoscite. quid enim? istuc, quod te sacerdotij iure facere posse dixisti; si augur non esses, & consul esses, minus facere potuisses? uide, ne etiam facilius. nos enim nuntiationem solum habeamus, consules & reliqui magistratus etiam spectationem. et interrogatione in Vatiniū: Tribunus pl. fuisti: collegas habuisti uiros fortes nouem. ex his tres erant, quos tu quotidie sciebas de cælo seruare, quos irridebas, quos priuatos esse dicebas. quibus ex locis licuisse constat etiam ijs, qui augures non essent, seruare de cælo. nam certe neque Marcellinus, neque tres illi tribuni pl. Vatiniij collegæ, augures erant; quorum numerus supra quindecim esse non poterat; & inter eos nemo erat ex ijs, quos nominavi. omnes enim habeo diligenter notatos in meis lucubrationibus. Latinæ] feriæ conceptiue, a consulibus, aut ab eo, qui summum in urbe magistratum gere-



Commentarius in lib. II.

ret, in Albano monte factæ . primus eas in unum diem Tarquinius Superbus instituit : secundus dies additus , pulsis regibus : tertius post secessionem in Auentinum : quartus , plebe & patribus a dictatore Camillo in concordiam reductis . Instaurantur :] quasi , faciendis ijs , aut prætermissum aliquid esset , aut , quod non oporteret , commissum . quibus de causis , sæpe legimus apud Liuium , instauratos esse ludos . instauratus autem decreto pontificis Latinas , ex Liuij lib. xxxii , planum est . Supplicationes] quæ imperatoribus pro re bene gesta decernebatur : eaq̃ . dum fierent , lege agere non licebat . Ille uindex] qui se uindicem quodam modo , atque assertorem gladiatorum & bestiarorum professus erat , lege in Milonem promulgata , quod gladiatoribus & bestiarijs contra rempublicum usus esset . eam legem supra Cicero significat in eo loco : Magna manus ex Piceno , & Gallia expectatur ; ut etiam Catonis rogationibus de Milone & Lentulo resistamus . Unus est] non quia re uera unus , sed quod unus inter omnes eo magistratu dignus esset . similiter locutus est in epistola ad M. Catonem : Et ; si in ciuitate multi Catones essent ; in qua unum fuisse mirabile est . in magno enim Catonum numero , singularem uirtute fecit M. Catonem . Tabulam proscripit ,] in publico posuit ; cum in ea scripsisset , seruos sese uenditurum C. Catonis : quod illi esse deæcori intelligebat . Hunc igitur Catonem] de quo hæc , quæ risum excitarent , sunt ame

a me dicta . itidem eum infra locutum puto ep . 9 .
 Monstra] quas , opinor , leges perniciosissimas
 paullo ante appellauit . Intercederet nemo .]
 quibus enim legibus ab aliquo tribuno pl . interces-
 sum iam erat , de ijs impediendis , non erat , cur
 Marcellinus cogitaret : quibus autem intercederet
 nemo , ijs , qua ratione poterat , obsistebat . has autē
 leges si uel pro Cæsare , uel contra Cæsarem scriptas
 fuisse dicam , uaticiner fortasse , & aberrem a uero :
 quod tamen consequi coniectura liceat , crediderim ,
 pro Cæsare fuisse . alioqui non ijs impedimento fuis-
 set Marcellinus : qui , cum Pompeio esset insensus ,
 quod paullo infra Cicero declarat , Cæsarem (est e-
 nim ita consentaneum) non amabat : cuius & af-
 finitatem cum Pompeio , & perniciosam reip . cum
 eodem ; & cum M . Crasso initam societatem boni
 & sapientes ciues oderant maiorem in modum , ac
 timebant . Caninius] tribunus pl . qui rogationē
 promulgauerat , ut Pompeius regem Ptolemaeum
 cum duobus legatis restitueret . hoc Cicero signifi-
 cat , obscure ille quidem , sed Plutarchus apertissi-
 me . Refrixit] quo diligentius hoc uerbum consi-
 dero , eo minus existimo , Refrixit , ideo dictum es-
 se , quia rogationi a Caninio promulgatæ aliquis tri-
 bunus pl . intercessisset . libentius in eam sententiam
 delabor , ut in ipso Caninio remissionem quandam
 animi in re cæpta significari existimem , quò specta-
 re uidetur illud : Neque enim res probatur . Refri-
 xit igitur , ipso remittente Caninio : qui de rogatio-

ne perferenda non laboravit, cum rem probari non uideret. sic locutus est, simili sententia, ad Atticum 18. Hac tota res, interpellata bello, refrixerat. Vituperatur] qui, cum a Lentulo fuisset ornatus, restituendi Ptolemæi regis honorem ei uellet eripere. ornamentum autem in Pompeium a Lentulo profectum, id fuit, quod, ut rei frumentariæ præficeretur, consul anno proximo retulerat: idq. significant illa, quæ sunt in epistola ad Lentulum: Pompeio qui nolunt, ijdem tibi, quod eum ornasti, non sunt amici. Fæcem populi] P. Clodij studiosam. Propter Milonem] defensum contra Clodij accusationem VII I id. Feb. qua de re supra. Suboffendit] non omnino, sed leuiter propter Milonem offendit. quod alioqui popularis maxime Pompeius esset. itaque & supra, cum hac ipsa de re loqueretur, ita locutus est: Concionario illo populo a se prope alienato. Multa ab eo desiderant] quæ non præstat, cum deberet. Multa reprehendunt] quæ committit, cum non deberet. Hoc uno] quia dixerat iam, Consul est egregius Lentulus; unum excipit, asperitatem in Pompeium: ne, quæ in hominem amicum, de seq. optime meritum fiant, ea probare uideatur. Senatu non inuito] iure. quid enim ei faueret, cuius nefaria contra libertatem consilia, coitione cum Cæsare, & Crasso facta, cognouisset? supra: Cato est uehementer in Pompeiū inuectus: auditus est magno silentio maleuolorum. et in epistola ad Lentulum:

Pompe-

Pópeius in senatu a Catone asperere et acerbe, nimiti
 ne in dicenda sententia uel bonos offendam, si pro
 magno silentio, est accusatus. A curia] Pompeio
 sentiam; uel ingratis faciam in ipsum, si sequar eos,
 qui ab illo dissentiunt. Celebratur] clientium fre
 quentia. idem ad Att. 37. Remp. nulla ex parte
 attingimus. in causis, atque in illa opera nostra fo
 rensi, síma industria uersamur. domus celebratur.
 Imprudentia Milonis] non, quòd ipse accusaue
 rit imbecille, sed quòd tum alieno tempore, tum ab
 accusatoribus minime firmis accusandum curauerit
 Sex. Caelium. Sex. Caelio] censeo legendum, Sex.
 Clodio. is enim & Milonis ac Ciceronis fuit inimi
 cissimus; & Marcellino & Philippo cos. accusatus,
 atque absolutus est. de quo sic in oratione pro M.
 Caelio in extremo fere: Oro obtestorq. uos iudices,
 ut, qua in ciuitate paucis his diebus Sex. Clodius
 absolutus sit; quem uos per biennium aut ministrum
 seditionis, aut ducem uidistis; in ea ciuitate ne patia
 mini etc. congruunt igitur tempora: nec res ipsa di
 screpat. de temporibus dubitari non potest: cum ora
 tio pro M. Caelio ipsdem, quibus hac epistola scri
 pta est, consulibus habita sit, Marcellino, inquam,
 & Philippo. nam in oratione cum ait: Intelligis
 pro tua præstanti prudentia Cn. Domiti, cum hac
 sola rem esse nobis: facile aperit, quo anno illa dixe
 rit. uideo enim, Domitium Caluinum, qui prætor
 quæstionem illa exercuit, præturam gessisse consuli
 bus Marcellino & Philippo. id quod, opinor, iam

Commentarius in lib. II.

cognitum est . dixit enim supra : Ad III id. Feb. dixi pro Bestia de ambitu apud prætorem Cn. Domitium . quam epistolam in consulatu Marcellini & Philippi scriptam ostendimus . Quod ad reum attinet ; homo est , quem Milo pariter & Cicero perditum uoluerint . quod utrunque non ex oratione minus , quàm ex hac epistola , colligitur . Neque hoc tempore] quòd ei Clodius , qui tunc ædilitatem curulem gereret , prodesse suo studio plurimum posset . etiam illud : quòd eo tempore sit accusatus , cum Pompeius neque carus plerisque de populo esset , propter Milonis patrociniũ ; & senatoribus offensus . ex quo paullo post : Ea ipsa in re Pompeij offensio nobis obstitit : senatorem enim urna copiose absoluit . Accusari] de ui , ut opinor : cum , omnium seditiosissimum fuisse , Ciceronis scripta demonstrant . Teterrimæ defuerunt] quæ nisi defuissent , condemnatus esset . et , Teterrimæ , cum odio . nam si absolutus est Sex . Clodius immerito , non tres plane sententiæ , sed omnes , quæ absoluerunt teterrimæ . notat autem ordinem senatoriũ . nam tribuni ærarij damnarunt , equitũ sententiæ pari numero fuerunt , senatores plerique absoluerunt . quod subiungitur . notat igitur nominatim eas tres , quæ condemnationis numero defuerunt . Verum quæ ro , cum tribus ordinibus unus absoluerit , alter dannauerit , tertius neque absoluerit , neque dannauerit , qui uideri potest Clodius absolutus ? quia , non ordinum iudicia , sed sententiarum numerum spectari ,

ri, lex iubebat. quod cum alijs exemplis, tum ex oratione pro Cluentio, et ex epistola 7. Cælij ad Cicéronem cognoscitur, lib. v l i i i . fam. idque Plutarchus in Mario comprobat. In concilio] iudic. m, ut infra. Reuocat] rursus accusandum esse dicit. Fuerunt] malim, ferunt. nam, Non fuerunt homines, ineptum quiddam, atque eneruatum uidetur. Apud suos] quod ei iudices fauerent: opinor, quia non optime in Pompeium essent animati. sequitur enim: Pompeij offensio nobis obstitit. Vident damnatum] futurum credunt, ut d. mnetur. Urna] tres erant urnæ, cum tres ordines, senatores, equites, tribuni ærarij ex ea lege, quam tulerat in prætura L. Aurelius Cotta, iudicarent. in eas separatim cuiusque ordinis tabellæ conijciebantur. Tribuni ærarij] genus hominum fuisse constat dignitate inferius ordine equestri: de quibus Varro: Quibus attributa erat pecunia, ut militi redderent, tribuni ærarij dicti. hos ego existimo, perfunctos eo munere, nomen postea retinuisse. quo modo enim tot uno tempore tot in iudicijs tribuni ærarij? quid, si bellum esset nullum; nulli ne ideo tribuni ærarij? qui ergo tres ordines iudicarent? nomen igitur non a præsentem magis, quàm absoluto iam munere ceperunt. Seruius] antiquus Bessarionis liber, Seuius: alter, quo Magnus usus est, Seius. quod potest esse uerum. Seius enim Romanum nomen. Allisus est.] adductus quidem in aliquod condemnationis, ut naufragij, periculum,

Commentarius in lib. I I.

culum, sed ex quo tamen emerfit, me non inuito, qui non eo illum, quo ceteros Clodianos, odio persequor. Conciduntur] iudicio perduntur, damnantur. eadem narratione usus est supra: Vatinium arbitrato nostro concidimus. Non futurum] nec fuit, tribunicio intercedendi iure. nulla enim hoc anno habita comitia, ac ne duobus quidē proxime sequentibus, sed ex interregno consules per triennium creatos, Cicero ipse aliquot locis, & Dio lib. XXXIX. præterea Plutarchus, Appianusq. declarant. hoc autem anno, sublatis comitijs a C. Catone tribuno pl. uestem senatus mutauit. epitome, Dio lib. XXXIX. Exempti] eximebat Marcellinus consul, ut eius perniciosissimis legibus obfisteret. Appius] P. Clodij frater. A Cæsare] quò iuerat, forte ob eam causam, ut ei suam consulatus petitionem commendaret. ualebat enim in comitijs Cæsar uel plurimum, ut qui popularis semper in primis fuisset. et in Gallia togata, Cæsaris prouincia, municipia erant multa, quæ suffragium, in sua quodque tribu, aut centuria, Romæ ferrent. itaque & M. Antonium ijs ad petitionem auguratus Cæsar commendauit. quod ab Hirtio scriptum legimus. aut igitur ob eam causam Appius ad Cæsarem iuerat: aut, ut ab eo tribunatum mil. aliquem auferret. quod ei a Domitio collega obiectum, infra scriptum est his uerbis: Etiam in senatu lusit, Appium collegam propterea isse ad Cæsarem, ut aliquem tribunatum auferret.

Redierant] *Romam*. Falsus igitur *Plutarchus*; qui, *Appium Marcellino & Philippo* cos. quo anno scripta est hæc epistola, *Sardiniam* prætoris officio administrasse, in *Cæsaris* uita significat. nam, si pro prætore *Sardinia* *Appius* est; qui uagatur, ab urbe in *Galliam*, ex *Gallia* ad urbem uerum, ut *Sardiniani* sortitus esset, fecit tamen, aliqua causa retardatus, ut non ineunte anno, hoc est cum primum prætura in urbe perfundus est, sed aliquot post menses in provinciam proficisceretur. hoc ego ita suspicor: quia etsi *Plutarchus* in rerum Romanarum notitia sæpe labitur, non errasse tamen, cum de *Appij* provinciali huius anni prætura tradidit, eo mihi similius ueri sit, quod annus, quo *Marcellinus & Philippus* consulatum gesserunt, proximus eum annum sequitur, quo præturam in urbe *Appius* administravit: ut necesse sit, aut non iuisse *Appium* in provinciam ex prætura, aut hoc anno iuisse. nam anno post *Marcellinum & Philippum* cos. certe ab urbe non discessisset, cum is ei ad petendum consulatum legitimus annus esset. distat enim biennio consulatus a prætura: & biennio *Appius* ipse post præturam consuluit. Clausum] ob hiemem, quod eo uti per anni tempus non liceret. ita ueteres loquebantur. atque hac de re *Vegetius* de re militari libro IV. cap. XXXIX. Ex die, inquit, III. iduum Nou. usque in diem VI. iduum Martij maria clauduntur. nam lux minima, noxq. prolixa, nubium densitas, aeris obscuritas, uento

Commentarius in lib. II.

rum, imbrium, uel niuium geminata scuitia non solum classes a pelago, sed etiam commeantes a ter restri itinere deturbat. Olbia] Sardiniae urbe, de qua supra bis. In prouincia] fecit aliquando hac uox, ut Quinctum existimarem in Sardinia fuisse pro pratore, extra ordinem, dum aliquis annuo legitimo imperio succederet: quia non ultra mensem Maium in Sardinia Quinctum fuisse constat. nunc, illum a Cicerone omnibus litteris Romam uocari cum uideam; opinionem muto. qui enim accerseret eum Cicero, quem sciret non ante successoris aduentum posse decedere? fuit igitur potius in Sardinia Quinctus alia de causa. quod illa indicant uerba 307: Tu, si ita expedit, uelim quamprimum bona & certa tempestate conscendas, ad meq. uenias. Certe enim, si Quinctus pro pratore Sardiniam regeret, non hoc Cicero diceret; Si ita expedit, statim conscendas. nec redijt Quinctus Romam, nisi quatuor fere post menses, mense Maio. quod si haec uerba, In prouincia plurimi fieri, uix in priuatum uidentur posse conuenire: credamus, iuisse quidem in Sardiniam eo nomine, ut suam rem ageret, cum libera tamen legatione, ut esset honoratior; aut potius, quod iam diximus, rei frumentariae causa, Pompeij legatum. certe hoc anno, ut proxime ostendimus, pro pratore Sardiniam rexit Appius.

EPISTOLA VI.

lisdem consulibus.

L A T E R I O] *fundo Quinti, in Arpini . ep. 1. lib. 3. & ad Atticum ep. 7. l. 4. & 1. l. 10. Pompeianum, Cumanum] non Quinti, sed ipsius Marci fundos. Dies] iudicij . supra . Proditā] sic Bessarionis, & Ferri liber, recte . quòd enim usitatius uidebatur, Producta, quàm prodita; forte minus notum uerbum in familiare conuertit aliquis, latinæ linguæ non omnino peritus . Proditā uero idem ualet, quòd producta . sic Terentius : Saltem aliquot nuptijs prodat dies . Ad eam diem uiderem .] non uidit, nisi post idus : ut in epistola, quæ sequitur proxima . Arcani] uilla Quinti fuit . Sustentari] differri . pudet in ijs uerbis immorari, quorum usum congesta in libros exempla declarant . tametsi in his ipsis, qui omnes diuitias nomine pollicentur, est sane cur aliquid, atque adeo multa, nec ea lenia, desiderentur .*



Iisdem consulibus.

C
V
M
]
 desiderio] antea, cum tuas litteras exspectabam, tui absentis desiderio te nebar; quia, non ita propinquum esse tui reditum, intelligerem: postea uero quàm, te esse iam iamq. ad nos nauigaturum, significasti; ita exspecto tuas litteras, ut interea me timor sollicitet, eorum periculorum causa, quæ nauigantibus impendent. ita primo quidem erat, cur te absentem desiderare: cur timerem, non erat: nunc reditum maturum cõsperem, sublato desiderio timor est exortus. Idibus Mai.] hoc anno consules erant Marcellinus et Philippus. proximo superiore, Lentulo & Metello cos. Gabinus ineunte anno in prouinciam ierat. ergo ultra annum prouinciam administrauit. annum dico? immo, ultra triennium. redijt enim L. Domitio Abenobarbo Ap. Claudio Pulchro cos. quod infra patet, ep. I. l. 3. & ad Atticum ep. 16. lib. 4.

Gabinio] qui tunc Syriam proconsul regebat.

Porcilius] antiqui libri, Procilius. cuius gentem nominis non dum inueni. Porcilius, placet: ut a Porcio deductum sit, quemadmodum a Sextio Sextilius, Quinctio Quinctilius, Curtio Curtilius.

Nemini accidisse] ut imperatoris litteris, bene gestam remp. nuntiantibus, senatus non crederet. quod Gabinio contigit. diuinus igitur senatus, quod postis-

postulant supplicationem Gabinio si frequens denegavit, hac de re his uerbis in oratione de prouincijs consularibus: *Quæ, inquit, homini, in quo aliquis si non sanæ pudor, at supplicij timor est, grauior pœna accidere potuit, quàm non credi litteris ijs, quæ re bene gestam in bello nuntiarent? hoc statuit senatus, cum frequens supplicationem Gabinio denegauit; primum, homini omnibus sceleribus, flagitijsq. contaminatissimo nihil esse credendum; deinde, a proditore, atque eo, quem præsentem hostem reipublicæ cognosset, bene rem geri non potuisse; postremo, ne deos quidem immortales uelle aperiri sua templa, & sibi supplicari, hominis impurissimi & sceleratissimi nomine. et in ea in Pisonem: Ab altero allatæ litteræ, recitatæ; relatum ad senatum. dij immortales, id ne ego optarem, ut inimicus meus ea, qua nemo unquam, ignominia notaretur? ut senatus is, qui in eam iam benignitatis consuetudinem uenit, ut eos, qui bene rempublicam gesserint, nouis honoribus afficiat, & numero dierum, & genere uerborum; huius unius litteris nuntiantibus non crederet, postulantibus denegaret? Et Phil. xiv. Foris ualde plauditur] Foris, est in uulgus, ut in epistola ad Lentulum: Cum ea contentio mihi magnum etiam foris fructum tulisset. Plauditur autem, senatui, quia fecerit, quod antea nunquam, ut allatis e prouincia litteris non crederet, ijs, quibus rem a se feliciter gestam Gabinus significauerat. εὐκρινὲς iudicium] sincerum illud*

Commentarius in lib. II.

lud est ac simplex iudicium senatus: nihil in eo gra-
 tia mea tribuit. Postridie] non uideo, si uerus est
 Macrobius, qui potuerit postridie idus agi de agro
 Campano, in senatu, cum omnes dies postridie ka-
 lendas, nonas, idus, decreto pontificum atri fuerint.
 De agro Campano actum iri] ex eo senatus-
 cōsulto, quod non. Apr. ex Ciceronis sententia factū
 erat. de quo sunt hæc in epistola ad Lentulum. *Quin-*
etiam, Marcellino & Philippo cos. non. Apr. mi-
hi est senatus assensus, ut de agro Campano, frequen-
ti senatu, idibus Maij referretur. Aqua hæret.]
 quam in partem me dem, quid sententiæ dicam, in-
 certus sum. ductum a clepsydri; in quibus non sem-
 per fluebat aqua, sed interdum hærebat immobilis.
 sic hærebat Cicero, dubius animi, quid ageret, u-
 trum agri Campani uenditionem probaret, quod ui-
 debatur e rep.; an Pompeio, de se optime merito,
 gratificaretur, qui diuidi potius agrum illum suis
 ueteranis militibus uoluisset; qui etiam *Vibullium*
 ad Ciceronem miserit cum mandatis, ut integrum
 sibi de causa Campana ad suum reditum reserua-
 ret. quod ita a Cicerone esse factum, aperte constat:
 quia scribit ad fratrem, non esse actum idibus de
 agro Campano. Illud scilicet] expono, scili-
 cet, scire licet: ut ab eo, Illud, regatur. Sic *Teren-*
tius, Scilicet facturum, pro, scire licet. Cena-
bis] forte scripserat *Quinctus*, qui erat in locis ur-
 bi admodum propinquis, se esse post cenam Romam
 iturum. Cicero, qui præ fratris uidendi desiderio mo-
 ram

ram illam non ferret, Aduola, inquit: nimirum ce-
nabis, cum ueneris.

E P I S T O L A V I I I .


Cn. Pompeio Magno, COS.
M. Licinio Craſſo,

L I B R V M M E V M] hic liber, quo erat
in extremo Iouis oratio, qui fuerit, igno-
ratur. de his certe, qui extant, nullus est,

in quo Iupiter loquatur. crediderim, fuisse poema.
nam, inducere Iouem loquentem, poeticum quid-
dam est, non oratorium. ac forte intelligendum est
de uersibus illis, quibus acta consulatus sui persecu-
tus est. mihi enim uenit in mentem cogitanti, Iouis
in personam optime conuenire tres illos uersus, qui
sunt in ad Atticum epistola III libri II.


„ Interea cursus, quos prima a parte iuuenta,
„ Quosq. adeo consul uirtute animoq. petisti,
„ Hos retine, atque auge famam, laudesq. bonorū.
idq. uidetur illa oratio confirmare, quæ Sallustij no-
mine in Ciceronem inscribitur. Quid ego, inquit,
plura de tua insolentia commemorem? quem Mi-
nerua omnes artes docuit, Iupiter optimus maxi-
mus in concilio deorum admisit. ut Ciceronem Iupi-
ter, admissum in concilium deorum, illa fortasse o-
ratione, qua de nunc ad fratrem scribit, sit allocu-
tus. De non curantia] rara uox, & fortasse

sin-



Commentarius in lib. II.

singularis, Curantia. itaque uidetur mihi, ceteris, opinor, item, duriuscule posita: tametsi, quæ pariter desinant, aliarum uocum exempla non desunt, ut uigilantia, iactantia, arrogantia, atque etiam negantia. sed si, quia similia in usu multa sint, eam tueri uolumus: cuius tamen teretes aures, rotundæq. sint, is, non uideo, qui ferre possit negantem illam particulam, quæ antecedit. dixit quidem alibi Cicero, non corpus, cum exprimere uellet ἀσώματον: ut eadem sorte licentia non curantiã pro ἀμελία dixerit. Mihi magis] ut meæ uitæ rationem ad eius orationis, quam Iupiter habet, quasi normam instituerem. Sed tamen] ita loquimur interdû, cum, omisso, qui erat institutus, sermone, nouam aggredimur narrationem. non enim est hic, Sed tamen, ea sententia usurpatum, ut indicet contrarium aliquid ijs, quæ iam dixit. Postridie quàm tu es profectus] redierat Quintus e Sardinia superiore anno paullo post idus Maias, ut est supra in epistola, O litteras: hoc est, anno iam peractõ. nam hæc epistola scripta est post III. id. Maias cum in extrema de senatusconsulto III. id. Mai. factõ mentionem fieri uideamus. rursus igitur Quintus Roma discesserat. Vibullio] Ruso, Pompeij studiosissimo, eiusdemq. præfecto fabrum. epistola longa ad Lentulum, ad Atticum sæpe, & Cæsar libro I. de bello civili. Operibus] uidetur eiusmodi res fuisse, quæ fieri sine publica consensione non posset. itaque dabat operam Cicero, ne Clodius aduer-



aduersaretur, & ut Pompeio, Crassoq. adiutori-
 bus uteretur, opera uero ipsa, atque inscriptiones,
 de quibus laborabat Quintus, credidim signifi-
 cari in epistola 1. libri 111. ubi mentio de Tellu-
 ris aede fit. nam ad eam aedem fieri quiddam, at-
 que inscribi, suo uidelicet nomine, Quintus uole-
 bat. id curauit Cicero, ut scribit ipse in eo loco, di-
 ligenter: statuam etiam fratris locauit. Per Pom-
 peium] cum quo in gratiam anno proximo redie-
 rat, concionemq. acerbissimam in Marcellinum con-
 sulem, Pompeij Crassiq. conatibus obsistentem, ha-
 buerat. Dio lib. xxxix. P. Crassus] Marci con-
 sulis filius, eloquentiae cum primis deditus; qui, le-
 ge Clodia promulgata, cum Romanae iuuentutis
 uiginti fere millibus uestitum Ciceronis causa mu-
 tauerat. Plutarchus. Legatio libera] hac ute-
 bantur, qui sui negotij causa, ut exigenda pecunia,
 uisitandi templa deorum, abesse diutius uolebant.
 alioqui senatoribus per leges non licebat. erat au-
 tem ex hoc genere uotiuu legatio. nam ad Atticum
 ep. 18. l. 2. Libera, inquit, legatio uoti causa da-
 tur. harum legationum definitum fuisse tempus, le-
 ge a C. Caesare lata, ostenditur his uerbis in episto-
 la ad Atticum 11. lib. xv. Et habent, opinor, li-
 beræ legationes definitum tempus lege Iulia; nec fa-
 cile addi potest. ante legem Iuliam annum fuisse tē-
 pus lege ea, quam hic noster tulit in consulatu, ipse
 declarat libro 111. de legibus. Hoc, inquit, genus
 legationis ego consul, nisi mihi leuissimus tribunus

pl. intercessisset, sustulisset: tamen minui tempus, et, quod erat infinitum, annum feci. ita turpitudine manet, diuturnitate sublata. quo in loco liberarum legationes, quasi turpes, nec satis aut ordine senatorio, aut republica dignas, multis uerbis exagitat. Nomen autem liberarum legationis inde ortum uideatur, quod, introire in urbem, & rursus exire, liberam legationem habentibus liceret. quod in ea ipsa, quam proxime nominavi, ad Atticum epistola declaratur. ceteri porro honores, qui extra urbem gererentur, ingredientibus in urbem deponerentur. Per populum] dandarum legationum ius ad senatum pertinebat. Clodius, si per senatum non posset, confugere ad populum cogitabat. id homines populares facere solitos esse, ut Casarem de provincia, Vatinius de legatione, animaduerti. Byzantium, aut Brogitarum] ut a Byzantijs, quod eos tribunus pl. ab exilio sua lege restituerat; a Brogitario autem, quod eum Matris Magnae templo praefecerat, promissam pecuniam exigeret. ideo subiungit Cicero, Plena res nummorum. hac utraque de re satis aperte in oratione pro Sextio. Lege, inquit, tribunicia Matris Magnae Pessinuntius ille sacerdos expulsus, & spoliatus sacerdotio est; sanumque sanctissimarum atque antiquissimarum religionum uenditum pecunia grandi Brogitario, impuro homini, atque indigno illa religione, praesertim cum eam sibi ille non colendi, sed uiolandi causa appetisset: reducti exules Byzantium, condemnati

demnati tum , cum indemnati ciues e ciuitate eijce-
 bantur. & pro domo sua : Idem tu una lege tulisti,
 ut Cyprius rex cum bonis omnibus sub præcone sub-
 iiceretur , & exsules Byzantium reducerentur . in
 ea uero de aruspicum responsis , Quid ego , inquit ,
 id admiror , qui , accepta pecunia , Pessiauntem ip-
 sum , sedem domiciliumq. matris deorum , uastaris ,
 & Brogitaro Gallogræco , impuro homini , ac nesa-
 rio , totum illum locum , fanumq. uendideris ? Et ,
 quod ad Byzantios exsules attinet , negotium illud ,
 tradit Plutarchus , M. Catoni a Clodio esse commis-
 sionem , ut eo diutius , dum eos lege Clodia , hoc est
 iussu populi restitueret , ab urbe abesset : quo scilicet
 ipse magis ad libidinem suam , Cicerone expulso ,
 Catone amandato , remp. uexare posset . exeundi igitur
 Clodio caussa erat , ut syngraphas persequeretur
 suas . unde in ea de aruspicum responsis , Deiotarus ,
 inquit , est rex iudicio senatus , per nos : Brogitarum
 putabo regem , si habuerit , unde tibi soluat , quod
 ei per syngrapham credidisti . Quod autem legitur ,
 Aut Brogitarum , uix puto Latine dictum , cum ho-
 minis nomen sit , non loci : ideoq. particula , ad , ui-
 detur addenda . Aut utrunque] uel , Vtroque ,
 ut ad legationem referatur , malim legere : uel , si ,
 Vtrunque , retinemus , ad uerbum , cupit , accom-
 modetur . Quod uolo] de operibus , & inscrip-
 tionibus . Ad nostrum Iouem] ut ea , quæ Iu-
 piter in extremo illo libro præcipit , obseruemus .
 Ad III. id. Maii] quàm multa peccauit incurio

Commentarius in lib. I I.

librariorum. hoc & quæ usque ad extremam episto-
 lam sequuntur, recte nunc atque ordine sunt impres-
 sa in nostris libris, ijs, quos proxime edidimus. ce-
 teris in omnibus, quotquot ad eam diem exierant,
 cum aliæ partes erant præposere collocata, tum
 hæc ipsa, quæ nunc tractamus, quæ Pompeio &
 Crasso cos. scripta esse facile cognoscitur, coniuncta
 legebantur cum ea epistola, cuius initium est, De-
 deram ad te: quam eo scriptam, anno, quo Marcel-
 linus & Philippus consulatum gesserunt, satis iam,
 cum eam exponeremus, probauimus: ut una epi-
 stola duobus annis perscripta uideretur. hoc uitium
 cum hæctenus nemo animaduertisset, deprehendi
 statim, nec ita magno negotio, cum ad hunc locum
 interpretando peruenissem. uetus enim hoc nostrum
 est in exponendo, ut, cum aliquid, quod ad histo-
 riam pertineat, occurrit, illico reuocemus id ad tem-
 porum rationem; ne quid de nostro tantum sensu lit-
 teris temere mandemus. temporum autem ratio
 certissima est, annorum per consules consideratio.
 quæ mihi sæpe res, incredibile est, quantas ad ui-
 dendam ueritatem fenestras aperuerit, quanto, q.
 eadem patefecerit aliorum errores, qui, genus hoc
 diligentie aut, tanquam nimis laboriosum, resu-
 gientes, aut, quasi leue, contemnentes, ea suos in
 libros retulerunt, quæ satis magnam reprehenden-
 di studiosis hominibus materiam præbeant. De
 ambitu] eorum magistratum causa, quos pro-
 xime creati oportebat. ij prætores erant. nam con-
 sules

sules ex interregno creati iam erant Pompeius, et Crassus. qui cum id spectarent, quod etiam consecuti sunt, ut, petentibus praturam M. Catone, et P. Vatino, Catoni Vatinius, integerrimo civi omnium nequissimus, anteferretur; neque id se posse obtinere sine ambitu sperarent; cavere sibi a legibus voluerunt, senatusconsulto facto, ne, qui praturam per ambitum cepisset, ei propterea fraudi esset. nimis hoc improbum atque iniquum videtur, sed patet ex Plutarcho in Catone Uticensi his verbis:

οἱ δὲ καὶ τῆτο δέξαντες, ὡς τῆς στρατηγίας ἀξιωμαχοῦ διὰ κάτωνα πρὸς τὴν ὑπάτειαν γενησομένης, πρῶτον μὲν ἐξαίφνης, καὶ τῶν πολλῶν ἀγνοούντων, βελὴν σωμαγαγόντες, ἐψηφίσαντο, τοὺς ἀρεθέοντας στρατηγοὺς ἀθὺς ἄρχειν, καὶ μὴ διαλιπόντας τὸν νόμιμον χρόνον: ἔπειτα διὰ τοῦ ψήφισματος τὸ δίδόναι δίκας ἀνεπεύθων κατασκευάσαντες, ὑπηρετας αὐτῶν, καὶ φίλους ἐπὶ τὴν στρατηγίαν προσῆζον, αὐτοὶ μὲν δόντες ἀργυρίου, αὐτοὶ δὲ ταῖς ψήφοις φερομέναις ἐφεσῶτες. et in Pompeio: τὸν κάτωνα τοῦ δήμου στρατηγὸν αἰρουμένου, καὶ τὴν ψῆφον ἐπιφέροντος, πομπήϊος ἔλυσε τὴν ἐκκλησίαν οἰωνοὺς αἰτιόμενος, ἀντίαν δὲ, καὶ Κατινίου ἀνηγόρευσαν, ἀργυρίῳ τὰς φυλάς διαφθίραντες.

est igitur hoc senatusconsultum non, ut alia, contra ambitum, sed pro ambitu. quod etiam inde fit apertius, quia factum est in Afranij sententiam. is enim nihil ad voluntatem Pompeij non administrabat, utpote qui consulatum et eius opera adeptus esset, et eiusdem arbitrato gessisset, ut est ad Atti

Commentarius in lib. II.

cum, l. I. ep. 14. & 16. addo illud, quòd cum epistolam ita Cicero concluderet, Quid multa? tenent omnia; indicat, nihil, contra quàm uellent, esse factum. Quam ego dixeram] non, quam ego dixeram in senatu. non enim eò turpitudinis Cicero uenisset, ut, cum antea consul legem contra ambitum tulisset, idem sententiam in senatu diceret de impunitate ijs danda, qui per ambitum deliquissent. expono igitur, Quam dixeram, de qua tecum locutus eram. Consules] Pompeius, & Crassus. Non sunt persecuti] noluerunt, inquit, discessionem fieri a senatu, quo posset intelligi, probarentur nec ne eorum sententiæ, qui Afranio &c. id est enim, persequi sententias, non, singulas omnium sententias rogare. Afranio cum essent assensu] hos necesse est non optime animatos in remp. fuisse, qui Afranij sententiam pro ambitu dictam secuti sint. id tamen argumentum uidetur mentis non omnino pessimæ, quòd addiderunt, ut prætores ita crearentur, ut dies LX priuati essent; eo nimirum consilio, ut accusare uolentibus eos, qui per ambitum prætores creati essent, spatium daretur. nam, si præturam protinus inijsset, accusandi locus non fuisset. non enim eos, qui essent in magistratu, licebat postulare. sed consules hoc non latuit: itaque persequi sententias eorum noluerunt. scriptumq. est illud in senatusconsulto, quod supra posuimus, τὸς ἀπειθίας πατριῶς ἀθὺς ἀρχεῖν. neque uero quisquam miretur, mense Feb. de creandis prætoribus

agi, qui mēse Quinctili, post ue designari soliti eſſēt. nam ita producta comitia erant, ut, anni parte iam exacta, quo anno geri praturā oportuiſſet, praetores tamen creati non dum eſſent : itaque dicit, Crearentur ; cum designandi tempus abiſſet . Dies LX.] si recte atque ordine ageretur, nō LX. tantum dies, sed menses quinque, eoq. amplius, priuatos esse oportebat. Quinctili enim fere mense designabantur magistratus . Repudiarunt] Consules Pompeius & Crassus . nullam enim eius uidentur habuisse rationem, cum senatusconsultum pro ambitu fecerunt. uel potius, quia nomen eius, praturam petentis, recipere noluiſſent : primum, quod uir optimus Cato, hoc est Pompeij Crassiq. improbis conatibus aduersarius : deinde, quod L. Domitio Ahenobarbo affinitate arctissime coniunctus. eius enim sororem, quod ex Plutarcho liquet, Domitius habebat in matrimonio . Domitium porro consulatu deiecerant, cum legitimus eius eſſet annus, Pompeius et Crassus .

EPISTOLA IX.

Iisdem consulibus .

I N I. S T O] scripserat Quinctus ad Marcum, ideo se non exiſſe cum ipſo, ne quando eum interpellaret. Marcus ita: Si in isto eſſem, quod tu scribis, ut tu me poſſes interpellare, ut mihi occupato tuus interuentus ullo modo molestus

Commentarius in lib. I I.

stus esset : sane , ut hac afficerer molestia , nunquam
 accideret . tu enim , qui , quid sit interpellare , opti
 me nosti ; nihil aliud , inquam esse , quàm intempe
 stive aliorum occupationibus interuenire ; in unquam
 ad me , nisi tempestiuus , accederes : ne , quod esse
 incivis scis in hoc genere , in illud incurreres . deim
 de nolo tibi hoc licere apud me , ut nulla temporis ,
 aut occupationis mea ratione habita , cum libet ,
 & quoties libet , appelles me , interpelles , obloqua
 re , colloquare . Ante Ateius] ita mihi nunquã
 esse molestus potes , quemadmodum nec tibi Ate
 ius . Ante Ateius , inquit , interpellat ? aut inter
 pellare potest ? minime . itidem nec tu me : quando
 quidem , ut ille , ita tu scis , quid sit interpellare ; et
 importuni nunquam estis . Istius generis] genus
 enim quoddam est humanitatis , cum ad eos , quos
 amamus , arbitrato nostro , qua uolumus hora , li
 bere accedimus . quod , inquit , tu cum faceres , hu
 manitatem docere quodam modo uidebaris . nunc au
 tem , quando tibi uenit in mentem timere , ne me in
 terpelles , hac humanitate te magistro non utor , sed
 quod ea , mihi uel sine tuo exemplo , nota est , et pla
 cet ipsa per sese . Tu uero] dixerat , primum :
 subiungendum erat , deinde . id , ut interdum solet ,
 omittit ; sed ijs uerbis utitur , quæ , si sententiam spe
 ctes , idem præstant . Primum , inquit , si huius uer
 bi , interpellare , uim attendimus , tu me nunquam
 potes interpellare . quod enim uitium iuterpellatio
 significat , id tu , cui notum est , uitares , cum ad me
 nunquam

nunquam iras, nisi oportune. deinde, etiam si tu, quid esset interpellare, non teneres, me tamen uellem, qui meus est in te amor, & appellares, & interpellares, magis, cum tua uoluntas ita ferret, quam cū mea postularet occupatio. Μασσαράκλος] subito musarum furore percitus: cuiusmodi homines fundunt illi quidem, pede in uno stantes, multas uersuum centurias, eas tamen, quas, animo sedatiore qui sunt, ne semel quidem possint perlegere; ipsi tamen sua poemata, praesertim illico postquam ediderunt, immoderate ac stulte nimis amant. Inuisa] quam ego nunc odi, cum eius causa factis intelligam, ut te, ab urbe discedens, non asportauerim, eadem scilicet, qua uetus ego sum, lectica; tibiq., qui antea huius generis humanitatem colebas, occasionem dederim de interpellatione metuedi. Mouet me, quod ueteres libri pro, inuisa, habent, infusa. qua ego in dictione ut me diu torserim, & ut ille inquit, labrum saepe momorderim, assequi tamen ingenio nihil potui, quod probarem. non enim, qua huic uocabulo, infusa, subiecta res est, ea certe (aut ego prorsus fallor) in hac sententia locum habet. inuisa uero neque longe distat ab, infusa, & cum sententia uidetur optime congruere. ἀντίετον] placet, quod uideo scriptum esse in Bessarionis libro, ἀντίετον hoc est, additam contra uoluntatem meam. ita, cum habemus ex antiquo libro, quod sententiam satis aptam continet, coniecturis meliora querere non debemus.


Commentarius in lib. II.

Ciceronis nostri] *filij tui*. Iterum ceteri omnes] *Iterum cum excusares te, quia mecum non ires, hoc attulisti, quod domesticorum omnium causa tibi manendum esset. Suspiciatus ero] non modo si tu dixeris, te uereri, ne mihi molestus sis; sed etiam, si, hoc te animo esse, suspicione assequi potuero: nihil equidem propterea dicam; te tamen pari ulciscar nia. uerebor enim, &c.* Sic fit] *sic ulciscor eos, a quibus laceissor immerito. εἰ δ' ἐν αἰσῶ ἐξῆρας]* exemplo græcæ sententiæ cum utitur Cicero, fere aut prima tantum attingit uerba, reliqua, tanquam nota, prætermittit; aut ita totum recitat, ut aliqua tamen mutatione ad id, quod sibi propositum est, accommodet. utriusque generis plenæ sunt epistolæ. hic singula uerba quid ualeant, nemo est, qui non uideat. quid omnia simul spectent, mihi quidem obscurum est. quòd si, quoniam ex poeta (certe enim hæc a poeta aliquo uidetur Cicero mutuatus) sumpta essent, tenerem; facile, opinor, esset sibi quid uellent, assequi. nunc, quia locum ignoramus, uel quòd non extet, uel quòd aliquando cognitus, memoriam nostram effugerit; affirmare de sententiâ certe nihil licet. nec placet inani comiebtura nubes & inania captare. Marium autem nostrum] *eum, ad quem scribit libro V. I. epistolarum, ut uulgo appellant, familiarium, hominem incommoda ualetudine, litterarum studio deditum. Scripserat Quintus, libenter Marium quoque fuisse exiturum cum Marco, si esset inuitatus. causam,*

sam, cur eum proficiscens non sustulerit, confert Cicerotum in ipsius infirmam ualitudinem, tum etiã in uillam apertam, ac ne rudem quidem. Coniecisse] uerbi tralatio quiddam habet ad suã fructu di Marij cupiditatem indicandam. Regis Ptolemæi] quam Ptolemæus, Aegypti rex, qui a suis ciuibus eiectus, Romæ aliquandiu fuit, Anicio dono dederat, uni fortasse de suis creditoribus.

Octophoro] quem octo serui gestarent. quod ipsum regiam potius, quã priuati hominis lecticam arguit fuisse. Aniciano] de quo mihi Anicius commodauerat. & est is, de quo paullo post. Machærophoris] machæra uidetur fuisse, quam nunc spatham appellant. certe uagina condi solitam, iocus apud Plautum paullo obscenior demonstrat.

Centum] non puto, Ciceronem huiusmodi comitatu esse usum. uix hoc Milonis, aut Clodij insanie tulissent. ac, si Ciceronem secuti essent, non extimisset Marius, quasi ad aspectum nouæ rei. crediderim igitur, casu contigisse, ut eadem uia post Octophorum Anicianum sequerentur illi machærophori, quibus uisis, Marium, qui non animo minus, quã ualitudine, esset infirmus, hominum et machærarum subita specie perterritum, pæne corruisse. Tunc] forte uerius, hunc: de quo scilicet locuti sumus. facit enim hoc Cicero, cum de aliquo aggressus dicere, de eodem aliquid a re tamen proposita seiunctum, interponit: ut supra, cum de C. Catone tribuno pl. orsus esset dicere, deinde inter-



Commentarius in lib. I r.

posuisset quiddam de familia uendita, rursus ad id, quod cœperat, reuersus, hoc utitur loquendi modo; Hunc igitur Catonem Lentulus a legibus remouit. Subtilitatem] acumen. Veteris urbanitatis] ueterum sales magna ex parte amissos esse, alibi quoque Cicero cōqueritur. Hoc uero mihi peculiare &c.] Peculiaris nostra sunt, quæ a nobis proprie possidentur, sic, ut ad neminem præterea neque possessio, neque fructus pertineat. Hoc uero] quod si, inquit, Marius tecum uenturus est, ut significas; mea erit hæc propria suauitas, mihi nullo cum homine communis, ut homine ingeniosissimo, atque humanissimo Mario ubique fruar, non modo in illis prædijs, quorum ille, mihi uicinus, quasi lumen est, uerum etiam hic, ubi nunc ædifico. Isto] qui tecum uenturus uidetur, Mario. Illorum] quæ tibi nota sunt, in agro Pompeiano: ubi uillam Marij fuisse, patet ex epistola 3. ad ipsum, fam. lib. 7. Lumen] luminis loco; æque gratum, ac lumen ipsum. nam, quæ lumine carent, loca, iocunditatis habent minus, quàm quæ Sol illustrat. Paratum sit] Marij causa; ut sit, ubi homo infirmus commode excipiatur. nam ego ita sum philologus, hoc est, ita litterarum studiosus, ut mollis tamen minime sim: quales fere sunt, quos librorum consuetudo tenet. possum, inquit, uel cum fabris habitare. non enim mea philosophia luxum, & uoluptatem, & mollitiam sequitur. ea me, non oblectauit in Hymetto, monte Atticæ amœnissimo, sed in

area

area cum seruis Syris, qui adificant, duriter exercuit. Iocatur, cum se philosophari in area, hoc est, suum studium in fabris exercendis ponere significat. Area Syra] in qua serui Syri opus faciunt. De interpellatione] ad epistolæ partem respondet, in qua scripserat Quintus, futurum, ut ipse & Marius eam, quam minimè possent, interpellarent. De rep.] hoc videtur dicere. Philoëtes, ille Herculis comes, accepta a suis ciuibus, hoc est, a Græcis, iniuria, cum in Lemno insula destitutus est, execrabatur eos, a quibus eam iniuriam immerito tulisset. tu contra; cum eos ciues, qui nos indignissimis & iniquissimis modis uexarunt, doles tamen non optimo in statu esse, mutuis discordijs agitari. hoc animo te esse, mihi, inquit, molestum est. uellem, Philoëtetem imitareris. De Philoëte, in Lemno a Græcis Troiam proficiscentibus derelicto, extat Sophoclis tragædia. Illa spectacula] calamitates, & miseras suorum ciuium grauissimas. Consolabor] quasi præsens remedium manu teneat, ita pollicetur: credo, quia significet, facile esse, rationibus Quinto ostendere, quam sine causa doleat. Hortus domi est] Ruricinitas horti requiritur maxime: ut sit, non modo quo opsonia condiamus ad suauitatem, uerum etiam quo languentem stomachum quarundam herbarum acrimonia excitemus. Hortensia, inquit, non longe petemus.



EPISTOLA X.

NON puto hanc epistolam scriptam esse Appio & Ahenobarbo cos. quia, proxima quæ sequitur, Ianuario mense scriptam esse constat. aut, suo loco minime collocata. quod si, Pompeio & Crasso, scripta est: ne sic quidem suum locum obtinebit, nam eam, quæ ante proximam legitur, post IIII id. Mai. scriptam uidemus: hæc porro ante pridie id. Apr. Quare siue Pompeio & Crasso, siue Appio & Ahenobarbo cos. est data; non est ad ordinis rationem constituta. crediderim tamen scriptam esse potius anno Pompeij & Crassi: quia, si anno Appij & Ahenobarbi scripta esset, absque dubio de itione Quinti ad Cæsarem mentionem aliquam fecisset; cum ad paucos dies ad eum Quintus profecturus esset? nam Arimini Quintum fuisse mense Maio, hoc est, in Cæsaris prouincia, legimus infra. Conuicio] acriter: quasi conuiciantium morem referrent, cum litterarum officium, diutius iam desideratum, Ciceroni exprobrarent. sic in epistola, quæ sequitur proxima, conuicio, dixit, pro querela satis libera, minime tamè pro conuicio. Codicilli] scriptorum genus in ceteris tabulis, quo ueteres utebantur, ubi properanter aliquid, ac breuiter, quod instar epistolæ non esset, exarare cogitarent: ut apud amicum in cena, foris, in itinere, uel nani, si charta præsto non esset.

set . dabant deinde amanuensi , ut descriptæ inde lit-
 teræ mitterentur . interdum etiam ipsos mittebant
 codicillos . quod hæc ipsa ad Quintum epistola per-
 spicue probat . non missos uerba illa ad Papirium de-
 monstrant : *Accubueram hora nona , cum ad te ha-*
rum exemplum in codicillis exaravi . Nam res
quidem ipsa] ideo commisi , ut tu me de scriben-
do urgeres , quia neque res ipsa , de qua scire ali-
quid uelles , neque omnino ulla de re dies is , quo tu
es profectus , argumenti quidquam dabat . Deesse
non solet] cum res tamen certa , de qua sermo sit ,
nobis deest . Alucinari] certa re non proposita lo-
qui , huc illuc errantium more ferri . est enim aluci-
nari , aberrare , non consistere , ut ait Nonius : &
ab ἀλύειν deductum , scripsit Cloatius Verres . pro-
pterea sine aspiratione , unico l , scribi debet : & in
hoc antiquus item Bessarionis liber consentit .
Tenediorum] petitum est a legatis ex insu-
la Tenedo missis , ut Tenedij suis legibus uiuerent .
negatum . potius enim censuit senatus , ut eadem
condicione , qua ceteri in prouincia populi Roma-
ni , tenerentur , hoc est , ut legibus a populo Roma-
no aut a prouinciali magistratu datis uterentur .
Securi Tenedia] ic̄tu uehementi ; cum uniuersus
fere senatus contra Tenediorum libertatem con-
sentiret . et , securi Tenedia , cum dixit , quasi quo-
dam ioco allusit ad ueterem illam siue fabulam , siue
historiam de Tenne rege , a quo insula nomen accep-
it ; qui leges sanxit , si quis adulterum deprehendis-
 set ,



Commentarius in lib. II.

set, ut eum securi interficeret: idq. seruauit ita diligenter, ut etiam de filio suo deprehenso interrogatus, quid fieri oporteret, respondisse dicatur; id fieret, quod lex iuberet. inde datus locus prouerbio de Tenedia securi, in ijs rebus, quæ præciduntur. Heraclides ἐν τῷ περὶ πολιτειῶν. Bibulum] Marcum, C. Cæsaris in consulatu collegam. Calidium] Marcum, oratorem dulcem potius, quàm uehementem; qui prætor in Cicerone restituendo diligenter operam nauauit. in Bruto, & oratione post reditum in senatu. Fauonium] Marcum, Catonis amicum, & æmulum in tuenda libertate, atque infestanda paucorum potentia. interfectum post obitum Cæsaris triumuirorum iussu, Suetonius tradit. Et ordine Bibulus, Calidius, Fauonius, habita dignitatis gestorumq. magistratuum ratione, nominantur. nam Bibulus consularis, Calidius prætorius, Fauonius necdum ædilicius. quod in Catone scriptum est apud Plutarchum. De te] quia Tenedum & Sipylum Quintus, cum esset in Asia pro prætore, triennio ante rexerat. Sypili autem legati potius, quàm Tenedi, Quintum in senatu lauderant. Vnum] in eo consilio, ubi de Sextij postulatione deliberatum est. Pansa] postulantis aliquid, opinor, pro publicanis contra Asiaticos, quod ei concedi, ius non esset. nam inter prouinciales & publicanos uectigalium causa nunquam defuit contentio. Neque tibi, neque Pomponio deero] forte, ut comunem utriusque rem

rem in aliqua causa defenderet. Poemata] si de
 ijs, qui nunc extant, Lucretij uersibus intelligit; non
 uidetur, poemata, satis proprie dixisse. poeticam
 enim, definit, Aristoteles, imitatione esse. at in opere
 suo (de eo, quod in manibus est, loquor) non imita-
 tur Lucretius, sed ipsam rem, ut est, ita docet.
 eadem oratione Empedoclem, qui uersibus de re-
 rum natura scripsit, Aristoteles idem esse poetam
 negat. uerum alia praeterea, quae fortasse poemata
 recte possent appellari, scripsit Lucretius: quod ex
 Varrone, Charisio, alijs colligitur. aut puta Ciceronem,
 etiam si definitione Aristotelis teneret, uoluisse
 tamen cum populo, quod e uersibus constaret, id poe-
 ma nominare; item ut tribunatum pl. & ipse & Li-
 uius magistratum appellant; quem tamen non esse
 magistratum, Plutarchus ἐν τῷ τῶν ἀποβλημάτων
 multis probat argumentis. etiam in Oratore, non
 se rationem, sed consuetudinem in loquendo sequi,
 tradidit his uerbis: *Vsum dicendi populo concessi,
 scientiam mihi reseruauit. Ut scribis, ita sunt,*
 eiusmodi sunt, qualia tu scribis esse, multis illa
 quidem ingenij luminibus, multis tamen etiam ar-
 tis. quibus uerbis plus in Lucretio declarat ingenij,
 quam artis, esse. quod sane hi quoque ipsi, qui ad
 nostram aetatem peruenerunt, sex illius libri satis
 indicant. *Hominem non putabo] forte scripserat
 Quintus, rediturum se esse in urbem, cum legisset ea,
 quae Sallustius Empedocleo more uersibus tractauerat.
 eam morandi causam M. Cicero repre-*



Commentarius iu lib. II.

reprehendit. *Virum*, inquit, te putabo, cum ueneris: si Sallustij *Empedoclea* legeris, hominem non putabo. *Laudis enim est, uirum uocari; hominem, non item. quia, etiam in quibus nihil laudes, homines tamen sunt; qui uero de hominibus ipsis excellent, uiros cum laude nominamus. itaque in Bruto, Vidi, inquit, Mitilenis uirum, & uidi plane uirum. et ad Att. ep. 15. l. 5. O uirum, o ciuem Memmium. et apud Terentium in Hæcyræ: Tu uirum me, aut hominem deputas adeo esse?*

EPISTOLA XI.

Ap. Claudio Pulchro, COS.
L. Domitio Ahenobarbo,

PRIDIE idus] Ianuarij, an Februarij?
Februarij. nam pridie idus Ianuarij senatus haberi non poterat. erat enim dies comitialis, ut uetus Romanum kalendarium significat. pridie autem idus Ianuarij nefastus erat: quo dierum genere senatus habebatur. scripsit autem hanc epistolam idibus, mane, posteaq. quod idibus est actum, scripsit postridie idus: & quod postridie idus, Lupercalibus. patet ex epistola sequenti. Populi] stantis ante fores curiæ in Græcostasi, & gradibus. itaque in epistola I. huius libri, Eius, inquit, operæ repente a Græcostasi, & gradibus clamorem satis magnum sustulerunt. Conuicio]

cio] an Appio consuli populus conuicium diceret? nihil ne metueret illos fascēs, quos in manibus litorum, ante curiæ fores consuli præstolantium, uideret? quid igitur est, Conuicio? clamore, & querela paullo liberiore. sic in proxima, quæ antecedit, epistola: Epistolam hanc conuicio esflagitarunt codicilli tui. Commageno] Antiocho, Commagenes rege: cuius regni caput Samosata fuit, in Asia, citra montem Taurum. de hoc rege meminit epist. 1. 3. & 4. lib. 15. fam. Rem] petierat, opinor, ut ei regni possessio senatusconsulto confirmaretur. idq̄. uidentur indicare quæ proxime sequuntur uerba, de oppidulo extorto. Discusseram] abieceram: ita contra eum locutus eram in senatu, ut tota res ad nihilum recideret. discusserat autem, non pridie idus, sed ante. nam pridie idus nihil actum in senatu uidetur. coactus enim consul populi conuicio senatum statim dimittere. Blanditur] metu: ne itidem exteris legatis, aut regibus, aliquid a senatu petentibus, obsistam. quod ideo Appius nolle uidebatur, quia, cum aliquid eorum causa senatus decreuisset, munera mercedis loco, aut etiam pactam mercedem consuli, qui ad senatum retulisset, dare consueissent. id significant illa uerba, quæ sequuntur: Videt, hoc genere dicendi si utar in ceteris, Februarium sterilem futurum. Hoc genere dicendi] quo facile cōsequi possum, ut ea, quæ petuntur, senatus minime concedat. Februarium] reliquos Februarij dies. nam epi-



Commentarius in lib. II.

stola scripta est post idus Februarij. Et Zeugmate] affirmo, Et Zeugmate, Ciceronis non esse: & , ut olim in iure solebant, sic ego sponsioné facerem, ni glosséma sit. oppidum enim in Commagene, positum in Euphrate, nullam fuit, præter Zeugma: de quo Plinius libro naturalis historie v. sic: Latitudo a Seleucia Pieria, ad oppidum in Euphrate Zeugma, CLXXV. M. P. & ibidem infra: Oppida alluuntur Epiphania & Antiochia, que ad Euphratem uocantur: item Zeugma, LXXII. M. P. a Samosatis, transitu Euphratis nobile. in libro Bessurionis est, in Euphrate & Zeugmate. Cæsare consulc.] aut, quia consulatú Cæsar solus gessit, Bibulo collega domi incluso: aut, quia Cæsar ad senatum retulit de honore togæ prætextæ Commageno retigi impertiendo. Quod uult] hoc totum quid sibi uelit, non assequor: nec pudebit unquam fateri nescire, quod nesciam: etiã, si cuius me ex his tenebris eduxerit industria, æque letabor, ac si, quod nunc quæro, meo ipsius ingenio naëtus essem. Decernendum nihil censeo] ex sententia petentis Commageni. erat auté hæc in sententijs senatorijs, ubi nihil nouari placeret, usitata conclusio: Decernendum nihil censeo. Sic & Liius lib. XL I. Ego, inquit, nihil noui censeo decernendum. Busrhenum] regis barbari nomen; qui tamen paullo, quàm Commagenus, erat nobilior, ei quoque permiserat senatus, ut prætexta, itidem ut magistratus Romani, posset uti;

cum nobiles iniq̄e ferrent , eo barbaros honore impertiri , qui magistratum Romanorum proprius esse deberet . Genus , & locum] falsum genus : locum , materiam eiusmodi , in qua dicta dicere facillimum sit . Reliqua discutere] ita contra reliquas legationes dicere , nihil ut omnino a senatu obtineat . quod si fiat , eripietur Appio pecunia , quam cupiditate iam ac spe deuorauit . Iouis hospitalis] cum , hospitibus meis , Græcis hominibus , intercedentibus , in gratiam cum eo redicrim . Fugerat] hætenus in mentem non uenerat , superiora scribenti .

Optandum , quàm sperandum] uidetur Balbus ad Cæsarem scripsisse , itemq̄ . , ut opinor , Cæsar ipse ; si uellet , Quintum ad eum iturum , ut operam in bello nauaret . suam eius rei cupiditatem Cæsar indicat , cum respondit , optandum magis , quàm sperandum . Ne sis aspernatus] ita iocus est , ut serio tamen dictum uideri possit . Scripserat Cæsar tale quid : argentum sibi non esse , unde Quintum ditare posset : studium & beneuolentiam , quæq̄ . in sua potestate essent , ei non defutura .

Arcæ nostræ] iocus ioco relatus . si tu , inquit , eges ; nos non abundamus . itaque arcæ nostræ noli confidere . nam si decoxeris , ego te meis nummis tuo ære alieno non expediam . Et est hic , conturbare , pro , decoquere . quo sensu dixit Martialis : Conturbabit Atlas ; & non erit uncia tota ,

Decidat tecum qua pater ipse deum .

Singulorum dierum] ita uidetur fecisse .

Commentarius in lib. I I.

hanc epistolam scripsit, ut dixi, idibus, sequentem postridie idus, aliam, quæ non extat, Lupercalibus. alibi aliud significat, ut ostendimus in commentarijs ad Atticum. Vere autem iocus ille Cæsaris fuit de sua egestate. uictis enim sæpe Gallis, ex eorum spolijs, & urbium direptione uim pecuniæ maximam coegerat; ut qui, belli ciuilis initio, uni Paulo consuli talentorum M D dono dederit.

Fere cum tuo reditu iungentur] id est, eo fere tempore perferentur ad te, quo tu reditum ad nos adornabis. Suæ ædes urerentur] quòd in domo consulis, quò salutandi ac deducendi causa quam plurimi conuenirent, caminum esse oporteret, sciente frigore, luculentissimum.

E P I S T O L A XII.

Iisdem consulibus.

I S I niuem atram] *de qua scripsisti.*
R *Anaxagoræ fuit opinio, niuem atram esse, quòd ex aqua fieret, quæ nigra esset: inepto ac falso argumento. sed hoc nihil ad hunc locum. scripserat forte Quintus iocose, niuem se atram inuenisse, illam inquam, Anaxagoræ; quasi tristem minimeq. iocundam; quia scilicet ei per niues incommodissimo itinere eundum, ac forte etiã in ipsis niuibus cum hoste, non sine summo uitæ di-*
peratone, pugnandum foret. De Pompeio] nõ de-

debere nos unius Pompeij amicitia niti: Casarem simul esse complectendum, ut amicum Pompeio firmiorem. Canto] in ore frequenter habeo, praedico. Terentius: - Qui harum mores contabat mihi. In sinu est, neque discingor] fauco, neque fauere unquam desinam. ductum a rebus carissimis, quas in sinu gestamus; quae ne exsulant, nō discingimur. Idus] Februarij. scripsit autem hanc epistolam postridie idus mane, quod extremae epistolae verba declarant. Decimus erat Caelio dies] is dies, quo reus M. Caelius causam de iudicare praetoris edicto debebat, sic enim erat in consuetudine positum. nam & Pedianus in commentario Cornelianae, Reum, inquit, Cornelium duo fratres Cominij lege Cornelia de maiestate fecerunt. et cum L. Cassius praetor decimo die, ut mos est, adesse iussisset; eoq. die ipse non assuisset: circumstanti sunt ante tribunal eius accusatores a notis operarum ducibus. Eos iurisperiti iussos dies uocant. Caelio] M. Caelio Ruso, qui tribunatum pl. gessit, Cn. Pompeio Magno III. consule; aedilitatem curulem, L. Aemilio Paulo, C. Claudio Marcello; praeturam, C. Casare, P. Seruilio eos. anno uno post aedilitatem, quod equidem miror: cum praetura biennio ab aedilitate distet. Domitius] Cn. Domitius praetor. Nolo quenquam in praenominibus errare. duo eodem tempore Cn. Domitij fuerunt: uterque praeturam gessit: ad utrumque Cicero dixit. horum alter est Cn. Domitius Calpinus,

Commentarius in lib. II.

uinus, qui tribunus pl. fuerat Cæsare & Bibulo
 cos. ut indicant oratio pro Sextio, interrogatio in
 Vatinius: & post biennium (adilitatem enim omi-
 sit, ut multi) præturam gessit, Marcellino & Phi-
 lippo cos. ut eadem duæ oratio & interrogatio do-
 cent. in prætura de ambitu quæsiuit, & apud eum Ci-
 cero Bestiam defendit, ut in hoc ipso libro supra co-
 gnoscitur. anno, qui post annum, quo scripta est
 hæc epistola, sequitur proximus, consulatum gessit
 cum M. Messalla. itaque satis patet, non esse hunc,
 qui de Cælio quæstionem exercuit: cum & inter præ-
 turam consulatumq. biennium intercedat; & præ-
 turam ab illo, non hoc anno, hoc est Appio Abeno
 barbo cos. gestam, sed Marcellino & Philippo cos.
 iam ostenderit. Alter est Cn. Domitius hic, qui
 de ui cognouit in causa Cælij, quem in ipsa oratione
 Cicero appellat. consulatum nunquam gessit.

Ad numerum iudices non habuit] cum eo
 die, quo causam dici ex edicto oporteret, iudices
 eo, quo opus erat, numero non affuissent; irrita fie-
 bat accusatio; ut integrum tamen esset, si quis eam
 præterea uellet instituire: quod in hac Cælij causa
 timet Cicero, cum ait: Vereor, ne homo teter &
 ferus Pola Seruius ad accusationem ueniat. atque
 etiam renouatam esse accusationem M. Cælij, ip-
 sa declarat Ciceronis oratio, initio mensis Aprilis
 habita, ludis festisq. publicis, satis longo post idus
 Februarias, qui decimus erat Cælio dies, interuallo.
 Posuimus causam unam accusationis, quæ instituta
 esset,

esset , omittendæ . altera fuit , cum accusatores , quo die reus adesset , ad agendum non uenissent . hoc ex Peditani uerbis animaduerto . inquit enim sic , in eo , quo de proxime memini , cōmentario . Postero die , cum P. Cassius prætor assedisset , & citati accusatores non adessent ; exemptum est nomen de reis Cornelij . Ergo , cum in caussis quatuor interueniant , prætor , iudices , accusator , reus ; ex numero iudicum , & ex accusatoris absentia fieri poterat , ut reus , quod quidem ad ceptam accusationem pertineret , dimitteretur . de reo autem dubium non est . quin , si ad diem dictam non adesset , condemnaretur . prætoris diuersa ratio fuit . nam etsi , quo die reum adesse iussisset , ipse non affuisset , deinde tamen peragere quæstionem poterat . idq. L. Cassij prætoris exemplo cognoscitur , de quo idem Peditanus in eodem loco . Quod ad iudicum numerum attingit , non eundem uideo fuisse in omnibus caussis . in caussa Milonis , quæ & ipsa de ui fuit , unum & quinquaginta reperio . is fuerit ne legitimus & ordinarius numerus in omnibus caussis de ui , an tum primum noua Pompeij lege de ui institutus , satis est a nobis accurate consideratum in libro de iudicijs .

Pola Seruius] nouum est , ut pronomen post cognomen ponatur . Liuius tamen semel , quod meminim , ita locutus ; cum Manlium Cnæum appellat . Polam hunc aut de gente Clodia , plebeia tamē , aut certe gentis Clodiæ studiosissimum opinor fuisse . nam in epistola M. Cælij ad Ciceronem , eius ope-

Commentarius in lib. I I.

*ra, uideo, Ap. Pulchrum, P. Clodij fratrem, in accusando Cælio uti cogitasse. et puto Seruium istum accusationes factitasse, primum, quia ferum hominem hic appellat Cicero; deinde, quòd in ea Cælij epistola ita scriptum est: Non destitit accersere Polam Seruium accusatorem, inire cum Domitio consilia. Veniat] non uenit tamen. nam accusauit Cælium Atratinus Sempronius adolescens, ut in oratione patet. Noster] primum, quia equitis R. filius, itidem ut Cicero: deinde, quia Ciceronis amantissimus: quod utriusque indicant epistole: cui etiam curam collocandæ filiæ Cicero dedit, cum iret in prouinciam. A gente Clodia] quia Clodia, P. Clodij soror, quæ Q. Metelli Celeris uxor fuerat, suas omnes ad oppugnandum Cælium opes contulerat; ut oratio pro ipso demonstrat. Tyriis] legationibus Tyro missis, ut de publicanis quererentur. nam inter prouinciales & publicanos, ob nimis acerbam uectigalium exactione, aut nimis lentam solutionem, nunquam fere negotium non fuit. Syriaci] quia Tyrus in Phœnicia: quæ Syriæ pars fuit. Vexatus] a publicanis, in quos iniquissimus fuerat: quod indicant illa uerba in oratione de prouincijs: Iam uero publicanos miseros tradidit in seruitutem Iudæis, & Syris, nationibus natis seruituti. & quæ sequuntur, et Dio libro xxxix. et hic in ep. 11. lib. 111. Gabinius] qui Syriæ imperio proconsulari præfuerat, & hoc anno Romam decessit; ut infra, ep. 1. l. 3. Domitio] *Athenobarbo,**

bo,cos. Prosecuti] cur enim ei nunc in senatu male dicerent, quem iam essent cum equis prosecuti? prosecuti autem quò? an, cum e provincia decederet? non puto. nimium enim multo post Gabinius ad urbem peruenit: ut simile ueri uix esse uideatur, tot ab eò menses itinere esse consumptos. malo, cum iret in provinciam. Noster Lamia] Veteres libri, C. noster Lamia. mallet, L. noster Lamia: ut intelligatur Lucius ille Aelius Lamia, princeps equestris ordinis, Ciceronis studiosissimus: de quo sic in epistola ad Brutum: Clodianis temporibus, cum equestris ordinis princeps esset, proq. mea salute accerrime propugnaret, a Gabinio consule relegatus est. & in oratione pro Sextio, & ubi non? Ad illud, Noster, dici, ob eandem, qua M. Cælius, causam, quòd, sicuti Cicero, equestri loco natus. Equites Romani] horum in numero Lamia, qui respondit Domitio, fuisse constat. quòd si eques Lamia; quo iure in senatum uenit? nam qui senatoriis ordinem est adeptus; retinet ille quidem equestris ornamenta, annulum, equum publicum; eques tamen, & equestris ordinis neque est, neque dicitur, sed senator, & ordinis senatorij. itaque legitur apud ueteres, Pompeium, cum eques Romanus adhuc esset, triumphasse: quia scilicet non dum lectus esset in senatum. quo facto, desit esse eques Romanus. ergo si eques Lamia; quòd satis apparet; non ideo in senatu, quia senator esset; sed quia cum publicanis, qui erant omnes equites, quasi dux eorum



Commentarius in lib. II.

ac princeps introierat. nam et in epistola, cuius proxime uerba recitauimus, princeps equestris ordinis dicitur fuisse Pisone & Gabinio cos. hic postea gessit ædilitatem curulem, ut in eadem est epistola: dein deq. in senatum aditum habuit, non modo iure gesti magistratus, (hoc enim soli curules magistratus iuris habebant, ut in libro de senatu docuimus) uerum etiam quia proximis a censoribus, Appio & Pisoni, lectum esse in senatu, uerisimile est. Dissolute enim iudicatis] qui si uere iudicaretis, condemnarentur ij, quibus, improbe agendo, simillimum se Vatinius præbet. sperat enim, impune sibi fore, quia dissolute iudicatis. Diximus iam, hoc tempore lege Aurelia tres ordines iudicasse, senatores, equites, tribunos ærarios. Laudatis] reos: quos si absoluiamus, quid reprehenditis, cum eosdem nos laudetis? Mos erat, ut auctoritate præditi uiri reos in iudicio, antequam sententiæ ferrentur, laudarent. pleni exemplorum libri. Nox dicitur] senatus haberi de nocte non poterat. ideoq. reprehendit Cicero in Philippicis quædam senatusconsulta uespertina, quæ fecerat Antonius. testatur idem et Gellius. Comitibus] qui nulli dum fuerant. nam toto mense Feb. comitiales qui fuerunt, omnes post Quirinalia, nec plures quam sex fuisse constat. comitiales autem erant de numero fastorum. sed eodem tempore & lege, & cum populo non agebatur: si lege, non cum populo: si cum populo, non lege. itaque licebat utrunque: sed eodem

tempore utrunque non fiebat. senatus autem per eos dies non habebatur. contraq. qui dies fasti non erant comitiales, ijs et lege agi, et haberi senatum, idq. eo die, confectis iudicijs, licebat: factumq. animaduertimus. Interpretatur] Hinc, opinor, suam Appius hauriebat interpretationem. Vatabat Pupia lex, haberi senatum a XVIIII. kal. Febr. usque ad kal. Febr. tametsi dies essent duo, fastus unus, alter nefastus, ille IV, hic III. kal. Febr. quibus, nisi Pupia lege contra sancitum esset, senatus haberi potuisset. Cautum erat praterea eadem lege, ne, nisi perfectis, aut reiectis legationibus, alijs de rebus senatus haberetur, sic igitur sua opinionem, aut uoluntatem potius tueri Appius poterat. Quid uetat Pupia lex? id scilicet, haberi senatum mense Febr. nisi perfectis aut reiectis legationibus. ego legi pareo: senatum alia de re, praterquam perficiendarum legationum causa, non habeo. ea quidem me non impedit, quo minus audientis legationibus senatum dem, nihil enim in ea tale scriptum est, sed hoc tantum, ne senatus habeatur, nisi perfectis aut reiectis legationibus. Cogi autem se Gabinia lege, contendebat Appius: quia, cum in lege scriptum esset, ut quotidie senatus legationibus daretur mense Februario; uerbum, quotidie, uolebat omnes Februarij dies comprehendere, siue comitiales, quibus haberi senatus non poterat, siue non comitiales. Gabinius autem, quotidie, dixerat, non de omnibus plane diebus, sed de omnibus ijs, qui



Commentarius in lib. I I.

qui quidem comitiales non essent ; quia scilicet haberi senatum eo mense nulla omnino de re, nisi legationum causa, uolebat. nec dubito, quin leges tribuniciae fuerint: siquidem senatum quibusdam quasi condicionibus coercent. de Pupiae sententia locus extat in epistola ad P. Lentulum. Ita putantur] non dixit: detruduntur comitia; sed putantur detrudi: quia certum non erat, an Appius, id quod affirmabat, habiturus esset senatum per omnes reliquos Februarii dies, etiam comitiales. nam si, ut solebat, non habuisset senatum Appius comitialibus Febr. diebus; habere comitia potuisset. Comititia] quid hoc? an comitorum tempus adest ante Quintilem mensem? nunquam sane, si ordine res agatur: sed extra ordinem interdum. nam, cum Appius ipse et Athenobarbus consules essent creati ex interregno, creandorum praetorum cura ad eos pertinebat, qui proximo superiore anno designati non fuerant: eaque comitia consules in hoc usque tempus duxerant: sicuti Pompeius et Crassus anno proximo, cum ipsi creati essent consules ex interregno, comitia tamen rogandis praetoribus non ante mensem Maium habuerunt: quod supra ostendimus. his porro comitijs praetorem creatum M. Catonem, historiae, demonstrant; qui superiore anno iniquissimam, prelato homine improbo P. Vatino, repulsam, tulerat. Plutarchus, & alij. His comitialibus] sex Februarii mensis diebus comitialibus, quibus habere senatum Appius constituerat. Tribuni

buni pl.] maxime C. Memmius, qui cum de re pe
 tendis postulauit. ep. 1. l. 3. De Gabinio] ut ei,
 Syriam prouinciam contra leges & iura sociorum
 administranti, imperium abrogetur. Acturos]
 rogationem, ut puto, promulgaturos; sicuti bien-
 nio ante C. Cato tribunus pl. rogationem de abro-
 gando Lentulo Spintheri imperio promulgauerat.
 ep. 3. Callisthenem, & Philistum] quorum
 uterque scripserat historiam, Callisthenes Olinthius
 de rebus gestis Alexandri, Siculus Philistus cum
 alijs de rebus, tum de Dionysio Siciliae tyranno.
 Redeo] uidetur accipiendum, pro, uenio, nam
 neque in hac epistola, neque in superiore, pridie scri-
 pta, uerbum ullum de Callisthene & Philisto. aut,
 Redeo, quia cum coepissem tuis litteris respondere;
 iamq. de niue atra, & de Pompeio scripisssem; in-
 terposui non nulla de rebus urbanis. redeo igitur ad
 tuas litteras, quibus coeperam respondere. Volu-
 tatum] assidue uersatum. nota tralatio, sic, uer-
 sari in libris, uerbo idem significante, paullo tamē,
 ut uidetur, leniore. Vulgare & notum nego-
 tium] locutus est in historia sua Callisthenes, non
 exquisite, quod ad sententias attinet, sed quo modo
 homines uulgo loquuntur, itidem ut aliquot Græci
 suis in libris. Capitalis] grauis, capita rerum
 attingens. De Dionysio] ubi de seniore Diony-
 sio scribit, a quo in exsilium missus est. nam de iunio-
 re uix potuit, magnis districtus negotijs: de seniore
 spatium ei non defuit ad scribendum, cum circa A-
 driam



Commentarius iu lib. II.

driam otiosus exfularet. Pufillus Thucydides] est enim densus, & breuis, & semper instans sibi Thucydides: quibus eum uerbis designauit Quinctilianus. pufillus autem, quia non ita multa scripserrat, ut Thucydides. Ipse etenim ueterator] delectat me Philistus non tam, quia capitalis, creber, acutus, quàm quòd ipse Dionysius, de quo scribit, astutus in primis ac uaser est: quæ tum, narante Philisto, tum ipsa per sese delectant. Per-familiaris] loquitur enim Philistus de familiarissimo suo, & ea tractat, quæ ipse nouit optime omnium. Ad historiam] scribendam; cum ueteres iam legisset historicos. Lupercalibus] cras. nam hæc epistola scripta est postiridie idus, mane. et Lupercalibus item mane scribere cogitabat ea, quæ postiridie idus essent acta. Quàm bellissime] quàm potes iocundissime. bellum enim non ad pulchritudinem, sed ad iocunditatem & commoditatem quandam refertur: ut bella puella, non quæ forma, sed quæ elegantia, & quadam quasi gratia intuentium oculos tenet. sic epistolam bellam uocat ad Atticum lib. i. v. ep. 6. quam scripserat ad Luceium; quod esset historiarum pigmentis haud paullo, quàm ceteræ epistolæ, nitidior, atque ornatio.



E P I S T O L A X I I I .

lisdem consulibus .

D I S C E S S V N O S T R O] statim postquam
 a te discessi . Arimino] primo provincie
 Cæsaris oppido : cum ad Cæsarem Quin-
 ctus proficisceretur . Ceterum] alioqui, ceteroqui .
 Dixeram] non quæ dixeram me scribere, sed quæ
 me esse scripturum ostenderam . libros enim de repu-
 blica , quos intelligit , aggressus est scribere in Cu-
 mano , ut ep. 5. l. 3. quos libros, magno litterarum
 detrimento , temporum extinxit iniuria, uno Scipio-
 nis excepto somnio ; quod , quasi scalmum ex nau-
 fragio , fortuna servavit . Spissum] difficile . no-
 ta significatio . ut fam. l. 2. ep. 10. Adiungen-
 dis] ad amicitiam : ut in posterum non modo reip.
 uerum etiam ipse mihi consulam, salutis pariter &
 dignitatis habita ratione . quod antea minus a me fa-
 ctum, nunc , meo malo doctus , te mandante corri-
 gam . Discat] Tyrannione docente . ep. 4. Otio]
 quo in urbe egebat , iudicijs rei q. publicæ procura-
 tione districtus . Minore] scio , recte dictum Mi-
 nore ; ut a maiore , Quinti filio, distinguatur ; quo
 modo & Africanus maior , Africanus minor ; Ca-
 to maior , Cato minor : moueor tamen suspicione nõ
 nulla , ne glossema fuerit , additum ad illud , Nostro .
 cur enim , cum ad fratrem scribat , adiungat , mino-
 re?

Commentarius in lib. II.

re? nonne satis filium suum ab illius filio distinxit, cum de suo dixit, *Noſtro*; de illo, *Tuum*? Digeras, persequare, conficias.] digerere, prudentiæ est; persequi, diligentia; conficere, constantia: quibus tribus uirtutibus officium eius, cui aliquid mandatum est, omne continetur. Splendidum] refertur ad diuitias. nec desunt exempla. Liberalitate] officijs, humanitate. Tribunus mil.] tribunorum mil. duo genera Pedianus facit, *Rufulos*, in exercitu creatos; et comitiatos, *Roma*.


E P I S T O L A X I V .

Iisdem consulibus.

LANDENONAE] mendosum locum
B existimo, &, cur, existimem, causas tres habeo, sententiam, geographiam, ueres libros: sententiam, quia, cum dicat Cicero, Deinde alteras, dictio, Deinde, satis indicat non eum eodem die accepisse litteras et Placentia datas & Blandenonæ. itaque in, Blandenonæ, dies, quo accepit eas litteras, uidetur inesse, sed mendo perturbata latet. geographia me monet, quia loci huius mentionem, ut geographos omnes euoluerim, nullam tamen inueni. suspicionem augent libri ueteres, quia dissentiunt ab impressis. nam in eo, qui Bessarionis fuit, uideo scriptum, Blandenonæ. quibus iisdem adducor causis, sui hominis egregie docti,

Et, et, quod hodie perquam rarum est, in iudicio litterarum elegantissimi, Caroli Sigonij coniecturam sequar, mirificeq. laudem: is, cum inter nos, ut fere pro nostra coniunctione & familiaritate quotidie solemus, hoc de loco satis multis uerbis collocuti essemus; redijt ad me postridie, quasi thesauro inuento, latissimus, dixitq. se non magna mutatione excogitasse quiddam, quod a me probatum iri existimaret. quid, inquam? tum ille, hec: pro, Blaudenonæ, reponendum puto, Laude, nonis. ut duas se dicat Cicero epistola accepisse, unam IIII. non. Iun. Placentiæ datam; alteram nonis, cum Casaris litteris, Laude. quod oppidum adhuc esse, Placentiæ proximum, quâ transeundum erat Quinto in Galliam proficiscenti, nemo nescit. gratulatus homini amicissimo, properaui ad scribendum; cum eius sententiam, ut ceteri quoque iudicare possint, qui tamen haud sane dubito quin mecum sentientes eam probent, notam ac testatam esse uellem.

Ista] honores, quos, ut scribis, a me expectare Casar uult. Vim magnam] magnopere ualent ad gloriam: eiusmodi sunt, ut ornare me summa gloria, summaq. dignitate possint. Quem nosti] quem scis mentiri non solere. Veteris amoris] Clodianis temporibus interrupti: cum Casar, nimia Ciceronis libertate commotus, quia in defensione C. Antonij quaedam aduersus potentes iniecerat, P. Clodium statim ad plebem traduxit. Nostrum poema] de quo infra epist. I. libri IIII.



Commentarius in lib. 11.

drigis poeticis] dicturus uidebatur, tum equis, tum uelis: sed per iocum, pro uelis, intulit, quadrigis: quæ & ipsæ ad celeritatem faciunt. addidit autem, poeticis; ut cum alijs rebus, tum uero scriptis uersibus, gratiam se a Casare initurum ostenderet. ita nec ab instituta tralatione discessit: nam tum equis, tum quadrigis curritur: & quid in Casare colendo sui consilij esset, aperuit. Ardenti quidem studio] faciam quod me mones: mea studia in Casarem omnia conferam. sic ad Trebatium in Topicis: Verecunde tu quidem, sed ut te ardere studio cernerem. & in epistola ad Luceium: Ardeo cupiditate. Voluntatis enim augetur significatio, cum & studium, dicimus; & ad studium, epithetum adiungimus; & epitheto ipso utimur tralato, & ab eiusmodi re tralato, quæ maxime omnium rerum nota sit, maximamq. omnium uim habeat: cuiusmodi est ignis. Britanniam] res, quas in Britannia geretis. iam enim, ut opinor, erant in tinere, Britanniam cogitantes. nam in epistola ad Atticum, mense Quintili data, suspicari se dicit, Quintum esse in Britannia. Coloribus tuis] ornamentis. ut Britania sit poematis materia, ornamenta Quinti, ars Marci. satis enim bonus poeta Quintus: aut, si minus, hoc tamen illi a fratre tribuitur. Penicillo meo] ut, ornamentis, quibus quasi coloribus rem illustrare possem, a te sumptis, eum deinde ordinem, quem probauiero, ipse adhibeam. Iste] Casar: ut eius absentis dignitatem,

tem, cum res postulet, Romæ tuear, atque augeam. Tuus amor] tua causa, qui legati locum apud Cæsarem obtines, fortasse uel in summis occupationibus poema, de rebus a Cæsare gestis in Britannia, consiciam. Miserim] commendatum ijs litteris, quæ epist. fam. libri. vii. leguntur.

Vadimonium concipere] certa erat uerborum formula, qua sese inuicem uadarentur; quibus uerbis cum essent usi, conceptum uadimonium dicebatur. Iocus Cæsaris in eo fuit: Oportune Ciceronem fecisse, qui Trebatium iurisconsultum ad se misisset: nam antea in uniuersa prætoria cohorte, totoq. comitatu suo neminem fuisse, qui, cum litigare uellet, quibus uerbis uadaretur teneret: itaque esse, cur ea de re Ciceroni plurimum deberet. erat enim Cæsaris prouincia, ut aliæ quoque, non imperij solum, uerum etiam iurisdictionis. et quoniam in munere iurisconsulti hoc erat minimum, & leuissimum, docere quibus inter se litigantes uadari uerbis, alter alterum, deberent, ne in concipiendo uadimonio peccatum irritam uadationem facerent: scripserat Cæsar, se Ciceroni gratias agere: cum tamen, qua de re gratias agat, esse minimam significet. Curtio] quem rogatione ac testimonio Quinti diligebat. epist. i. lib. iiii. Domitius] Abenobarbus, eos. Rogatus] ut ad Cæsarem scriberet de tribunatu mil. Curtio mandando. quod si fecissem, derideri se putasset; qui peterem ab eo, ut inimicissimo suo Curtij honorem commendaret. Dissi


Commentarius in lib. II.

debat autem capitali odio cum Casare Domitius. nã
 & prætor in senatu retulerat, ut, quæ Casar anno
 proximo consul egisset, cognoscerentur; & biennio
 post, consulatus candidatus cum palam minaretur,
 consulem se effecturum, quod prætor nequisset,
 adepturumq. ei exercitus, coitione Cæsaris, Pó-
 peij, & Crassi deiectus erat. consulatu. Ne tribu-
 num mil. quidem] nedum legatos; qui tribu-
 nis mil. in castris honore præstabant. Facere]
 non, Romæ, comitijs; quibus, credibile non est,
 non potuisse studio consulis tribunatum mil. fieri;
 sed in exercitu Cæsaris, commendatione sua; quia
 scilicet neminem omnino ei, ullius honoris causa,
 commendaret. Aut, Facere, omnino non facere:
 cum tamen consul esset. consulum enim & dictato-
 rum primis reip. temporibus hæc fuerant beneficia.
 postea tribunatus mil. dari per populum cæptus est:
 postremo alios in exercitu imperator, alios Romæ
 populus creauit. Liuius, Pedianus. Isse] non, in
 consulatu. nimis enim præter dignitatem, atque
 omnino absurdum, consulem, maximarum rerum
 procuracione districtum, discedere paullo longius
 ab urbe, ut tribunatum mil. peteret a pro consule.
 intelligo igitur de itione illa, de qua ep. 6. Lentu-
 lo et Philippo cos. ante annũ. Auricula infima]
 neque acrem in tuenda rep. neque acerbum in perse-
 quendis inimicis, sed in utroque ita remissum, ac le-
 nem, ut, quod dici solet, mollior auricula infima
 uideri possim. Monuerat Quintus, ut ex illo do-

Etus rationem haberet aliquando etiam salutis. hinc illud ep. 13 . Tui mandata persequar & c.

Comitorum] quæ tamen hoc anno habita non sunt . nam Calpurnius & Messalla , qui sequenti anno consulatum gesserunt , ex interregno creati . Suspicio] postea non suspicio , verum etiam sermo fuit multus . nam ad Atticum 65 : Res , inquit , fuit ad interregnum ; & est non nullus odor dictaturæ , sermo quidem multus , qui etiam Gabinium apud timidos iudices adiunxit . Quibus verbis , de Pompeij dictatura hoc tempore homines loqui , significat . quod in commentario diximus . Otium forense] infrequens a iudicijs forum : iudicia frigent . Senescentis] non quia desit , quod homines in foro agant : sed omnium rerum tædio ciuitas languet . Videtur hoc dicere : Cum publicis in rebus male agatur , serpit idem morbus etiam ad priuata , & omnino nihil curatur . Quàm nosmet ipsi] quia , ne offendam eos , qui principes in republica sunt , quorū a uoluntate neque tu dissentire me uis , neque meorum temporum acerba recordatio patitur ; cogor de recto illo meæ mentis cursu paululum deflectere . atque hoc ipsum tamen ita facio , ut me boni uiri , tanquam patriæ parum amantem ciuem , reprehendere non possint . ijs igitur satisfacio : mihi non item : quia summum illud ius , simplex , inquam , illa , mihi antea proposita , tuendæ reip. ratio , tēporis caussa non plane in meis sententijs defenditur .

33 Τοιαῦθ' ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται]



Commentarius in lib. I I.

„ Miseranda belli talia condicio efficit .
senarius Euripidis, in tragœdia, οὐκ ἐνδεις. Hæc, inquit, facinus ærumnarum metu. nimis enim magna mercede didicimus, quàm, potentibus aduersari, non sit tutum. Calamo] quattuor sit argumentis, ut hoc putem esse principium epistolæ: primum, quod fortasse paullo infirmius uidebitur; ut homines diuersa sentiunt; quòd hæc uerba initium potius epistolæ, quàm epistolæ partis, redolent: deinde, quòd apparet, respondisse iam Ciceronem duabus Quincti epistolis, Placentiæ & Blandenone datis: nunc autem uni respondet breui epistolæ, quam post illas accepit. præterea, si una esset epistola, bis ageret de rebus Romanis. nam & dixit iam: Res Romanæ sic se habebant. Erat non nulla spes comitiorum, &c. infra uero rursus: Ambitus redit immanis. itaque, eadem esse repetita, credibile non est. postremo, quòd hanc scriptam esse constat post idus Quinctiles; cum inferat: Idibus Quinctilibus fœnus fuit ZZ ex Z. at superiora paullo post 1 v. nonas Iunias: ut ipse in prima epistolæ parte significat. Temperato] ita concinnato, ut ad pingendas litteras aptissimum sit. Dentata] apri, aut etiam equi dente lauata. quod item nunc, ubi quid scribimus accuratius, facere solemus, ad inæqualitatem chartæ complanandam; quo calamus quasi currat expeditius. Nec uero mirari satis possum, quid Erasmo uenerit in mentem hoc in loco interpretari, charta dentata, pro acerba, & iracunde scripta:
cum

cum de litteris agi, quæ bono calamo, temperato atramento, leui ac polita charta commodius formantur, illa uerba demonstrant: Scribis, te meas litteras superiores nix legere potuisse: & illas: Hoc facio semper, ut, quicumque calamus in manus uenerit, eo sic utar, tanquam bono. Veram hoc, itemq. alia, tum in adagijs, tum alibi non satis recte aut explanata, aut de græcis conuersa, homini erudito, ac de litteris, quantum præstare potuit, bene merito, largiamur. Nihil eorum] non ob eas, quas tu suspicaris, causas, parum perspicue scripsi. παραπρατικῶς] more hominis in usu reru uersati: qui te non segniter, sed sine ulla mora, si res exigat, ad me uolaturum confirmes. Genuine] Vere, sine arte, eo quo natura genuit modo. inde enim uidetur, genuine, ductum. Id est, utrum uoles] mendii labes satis manifesta: nec cluere conabor; cum ab impressis libris minimum dissentiant manuscripti. tantum enim pro, commorere, Bessarionis liber habet, commoneres. quod si pro, dixerimus, legeretur, dixerim, an: nihil, opinor, superesset uitij, hoc ordine: Id est, utrum uoles, (ut dixerim) an, ad expediendum tibi, si causa sit, commorere. nec esset obscura sententia. nam, uoles, μεταπρατικῶς usurpatum, pro, celeriter uenias, & commorere opponuntur. sed minus audeo, propter incertam maximeq. fallaces coniecturam uias. Domus] a multis celebrata. ep. 5. et ad Atticum ep. 22. l. 2. Forum] in quo, causis agendis, amicitias,

Commentarius in lib. II.

tias, & clintelas mihi comparo. Theatri] malis ciuibus, theatrum ingredientibus, plausum aut nullum, aut clamore & sibilis dissonum populus dabat; bonis, & in republica prestantibus, magnum, et æquabilem. ergo, quàm quisque aut inuisus, aut carus esset populo, theatrum significabat. ad Atticum ep. 19. l. 2. & 15. l. 4. Neque laborant] hic alij fortasse uiderint acutius: ego plane τυφλόπω. obscuratur enim mendo sententia: neque est, ut aut ex antiquo libro, aut ex ingenio meo locum illustrare possim. tantum, pro, Neque, Nec habet liber Bessarionis. Amentis] P. Clodij. Illud malo] quod scribis: ut istic, si causa sit, commorere. Quod putas] putas enim ere tua esse, te istic commorari. Magis etiam illa] uolo equidem te istic manere tua causa, sed mea etiam magis; qui, quod ad me pertinet, magni faciam. malo enim ἀμφιλαφίαν illam tuam, et expectationem debitorum tuorum, quàm aduentum tuum. Nec uero dubitandum est, quin hæc duæ dictiones, ἀμφιλαφίαν, & expectationem, Ciceronis rem utraque significet; cum dixerit proxime: Etenim magni aestimo me. ἀμφιλαφίαν expono, cautionem utroque spectantem, ad dignitatem, & salutem: cuius magnam partem in eo positam intelligo, si diutius apud Casarem sis, eumq. tibi tuis officijs ac studijs quammaxime deuincias. Illam tuam] quo tu uocabulo cautionem significare, duabus rebus utilem, consuesisti. erat enim hæc Quinto familiaris dictio.

itaque supra, ep. 5. ἀμφοτέρων, inquit, illam tuam, quam tu joles dicere, bono modo desidero. Exspectationem] expectabo, ut, quæ mihi debes, ea persolvas, ut, quæ te facturum pollicitus es, re præstes. quæ uero hæc? ut Quintus Casarem ipsum, primum scilicet, deinde ut alios quoque & de cohorte, et de exercitu Casaris, qui Romæ aliquid possent, Marco fratri beneuolentia coniungeret: quo præsidij firmioribus contra Clodij furorem in urbe maniretur. id autem Quintus fratri mandati ac roganti promiserat. huc enim spectare illud puto, quod supra dixit, 318. Mea mandata digeris, persequare, conficias. Nec, in castris quid aliud nauare Quintus pro fratre possit, intelligo. Expeditis] a molestia: nisi quid eueniat, quod impedimento sit: si per inimicos atque inuidos licebit, itaque, præsidij causa, de retinenda, atque adeo augenda Casaris gratia plurimum laborare debemus. quod cum ita sit; potius tibi de mansione, quam de discessu, uides esse cogitandum. Quò, nostris quidem moribus] & parua sunt, nec tamen nobis admodum curanda. quò enim? cum moribus nostris, temperatis scilicet, & ad frugalitatem compositis, satis ea sint, quæ iam habemus. ualeamus modo, et liceat nobis esse expeditis. Ambitus redit] redibat enim singulis annis ambitus comitiorum tempore, sed immanis, ut hoc anno, nunquam. Ardet ambitus, hac de re dixit in ep. ad Att. ep. 15. l. 4. Fœnus fuit ZZ ex Z.] duplicatum fœnoris questum



Commentarius in lib. I I.

Stum significat ; idq. ipsum scribit ad Atticum ep. 15. l. 4. his uerbis , Fœnus ex triente idibus Quintilibus factum erat bessibus ; hoc est , ut , centenis acceptis , octoni pro annuo fœnore penderentur . at que his notis , ZZ , duos trientes , qui bes est , significari oportet : ut hic locus cum illo ad Atticum , iâ recitatio , congruat ; & hoc dicatur , ex uno triente fœnus esse factum duobus , hoc est , ex triente bessibus . quod idem est . nam bes duo trientes fuit . Bessirionis liber habet , Fuit & ex , pro , Fuit ZZ ex Z . utranque suspicor esse mendosum . & forte sincerum hoc . Fuit - S - S . ex S . aut hoc : Fuit 33 . ex 3 . nam hac nota , 3 , triēs indicabatur , qui bessis dimidium est : item hac , S . ut , siue S - S reponas , quēnis notis bessem significari Demetrius tradit ; siue 33 , quas Demetrius idem uidetur probare ; siquidem unam 3 pro triente ponit ; ab antiqua numerorum ratione nihil recedas . quia tamen in hac emendandi ratione eas maxime coniecturas approbo , quæ quâ-minimum a deprauatis uera scriptura uestigijs recedere uidentur ; fit ut in hanc libentius inclinem , Fuit 3 ex 3 , quàm in illam , Fuit S ex - S - S . quàm enim facile ex 33 fieri potuerit ZZ , id est e duabus minusculis litteris eadem maiuscula , omnes , ut opinor , intelligunt . Coitione Memmii] hac , ut ipse & suus competitor Domitius Calvinus HS quadringena consulibus darent , si essent ipsi consules facti , nisi tres augures dedissent , qui se affuisse dicerent , cum lex curiata ferretur , quæ lata non esset ;

esset ; & duos consulares , qui se dicerent in ornandis provincijs consularibus scribendo affuisse , cum omnino ne senatus quidem fuisset . ad Att. ep. 18. l. 4. Quo cum Domitio] forte , cum Cn. Domitio . Scaurus] M. Aemilius , eius filius , qui princeps senatus fuit , Syllæ dictatoris uirtricus : pro quo extat mutilata Ciceronis oratio . Vnum uincere] malim , Enuntiare ; ut subaudiatur , coitionem : & sit , Enuntiare , pro enuntiabat . Messalla] consularis candidatus . quattuor nominantur in epistola ad Atticum , Memmius , Domitius , Scaurus , Messalla . Flaccet] languet , ob consulum coitionem , & Pompeij Studium in Scaurum . ad Att. ep. 15. l. 4. ὑπερβολὰς] quæ supra ueritatem sint . HS Centies] aureorum scutatorum nostratis pecunie trecenta millia . In prærogatiua] ea centuria , quæ prima de consulatu mandando suffragium ferret ; inde dicta , quòd prima rogaretur , quos uellet cōsules fieri . eodemq̄ . nomine prima quoque tribus appellabatur . ac possit hic , prærogatiua , non tam ad centuriam , quàm ad tribum , referri : siquidem binis comitijs , cēturiatis , et tributis , consules creabantur . qua tota de re in libro de comitijs . Pronuntiare] polliceri se daturos , si eam tulerint , eiusq̄ . suffragijs consules fuerint designati . uerbum in hoc genere proprium . itaque ad Att. ep. 14. l. 1. Qui nummos in tribu pronuntiauerit . quo loco , cum de comitijs consularibus agatur , tribu tamen dixit , non centuria . ut hic fortasse ,



Commentarius in lib. II.


se, prerogatiua, de tribu dictum sit, non de cen-
 turia. Resardet inuidia] hac ipsa de re, Con-
 sules flagrant inuidia, dixit in epist. ad Atticum
 ep. 18. l. 4. HS quingenis] quingenis millibus,
 quae efficiunt monetae nostratis aureorum scutorum
 quindecim millia. Catonem] qui praetor tunc e-
 rat. Eius arbitrato] quo modo ille uoluisset, si
 ne fisco uidelicet, ac fallacijs, more maiorum. fuit
 enim Cato, quod omnes historiae clamant, bonarum
 legum, omnisq. iuris acerrimus obseruator. Con-
 tra fecisset] tribunatum pl. contra praescriptum
 illius petisset. Condemnaretur] amitteret quod
 apud illum pecuniae deposuisset: idq. alijs, qui sine
 arte mala petissent, tribueretur. et condemnatum
 ex ijs nescio quem ab ipso Catone, legimus apud
 Plutarchum in eius uita. Gratuita] non corru-
 pta nummis, recte atque ordine habita. ad Atticum
 lib. IV. ep. 16. Leges] quia Cato unus eos ad
 ueterem petendi consuetudinem, & tanquam intra
 girum rationis reuocauerit. quod neque legum, ne
 que iudicum metus solet efficere.

EPISTOLA XV.

Iisdem consulibus.

N E PAVLLVM otii] uidetur quibus-
 dam tanquam integumentis uelata senten-
 tia; sed ostendetur hoc modo: Cum a me
 librarij in unu litteras acceperis, ne quidquam otij
 me

*me habuisse iudicato ; cum autem mea , ne nullum .
 cum utor , inquit , librarij manu , prorsus otij nihil
 habeo ; cum autem mea , non nihil . hoc significari ,
 demonstratur infra , initio 11. epistolæ libri 111.
 sic enim ibi est : Occupationum mearum signum tibi
 sit librarij manus . causamq. subscribit occupatio-
 nis hanc : Diem scito esse nullum , quo die non dicam
 pro reo . Hanc igitur epistolam librarij manu scri-
 psit Cicero : nam infert hic quoque : Sic habeto , num
 quam me a causis , & iudicij districtiorem fuisse .
 In epistola etiam ad Atticum ep. 15. l. 4. signum
 ait esse occupationum librarij manum . Nullam]
 subaudi , ne : quod proxime antecedit : ut sit : Ne
 nullum otium . Grauisimo] cum a morbis ti-
 mendum est maxime . Præscribis] ut amicorum ,
 clientumq. copia muniamur . Spei , aut cogita-
 tioni] p̄tatis enim uos ea , quæ speratis , aut cogi-
 tatis , facilius posse consequi , si ego in forensi labore
 pergam . nihil enim ad comparandas amicitias , ho-
 minumq. studia colligenda magis accommodatum .
 Vestræ] tui , & Cæsaris , qui me hunc laborem e-
 tiam sua causa sustinere uult . Supra dixit , se roga-
 tum a Cæsare , ut Romæ maneret . quod facit ad
 hanc sententiam . ep. 14. Præsertim] eo libentius
 operam dabo , ut aut spei , aut cogitationi uestræ de-
 fuisse ne uidear ; quod simul ipse mihi , hoc labore
 perferendo , optime consulam . multum enim gra-
 tiæ , multum inde colligam dignitatis . Diffici-
 lius] hæc ferre . fuerit , inquit , id cum aliqua diffi-
 cul-*



Commentarius in lib. II.

cultate: præmij tamen hoc erit, magna gratia, magna dignitas. Videbitur, quod subiungam, fortasse humiliter: sed, hæc humilia non contemnendo, ueteres illi Romani summam eloquentiæ laudem sint adepti. Nomina quædam sunt, quæ secundæ comparationis appellant grammatici: quæ cum ideo fuerint inuenta, ut auerent; minus tamen significant, quàm ea, quæ ydem positiua dicunt. itaque illud Virgilianum,

„ Tristior, et lacrymis oculos suffusa rubentes, exponit Seruius hoc modo: Tristior, minus est, quàm tristis. exempla sunt cum apud hunc nostrum, tum apud alios eiusdem scriptores atatis innumera bilia. non igitur adductus feci nulla causa, quod, Difficilius, exposui, cum aliqua difficultate. Ab iis ipsis] L. Domitio Abenobarbo, huius anni consule; M. Porcio Catone, prætore; M. Calpurnio Bibulo consulari. hos enim maxime designat, acerrimos Cæsaris inimicos. Ab æquis] quorum æquus in utranque partem animus est, neque studio in Cæsarem affectus, neque odio. itaque nos cum Cæsare coniunctos neque dolent, neque latantur. Propensis in hanc partem] Cæsaris causa cupientibus. tria nominauit hominum genera; qui Cæsarem oderant; qui nec oderant, nec amabant; qui amabant. Excolamur] nusquam hac sententia usurpatum, quod meminerim; hoc uerbum inueni. uenit in mentem, cum sequatur, ET amemur, scriptum forte a Cicerone, ET colamur, & amemur.

Non fui] *cum quidem hæc scripsit . postea uero fuit : quod ipse ad Atticum scribit , l. 4. ep. 16.*

Præsidio] *nisi plures uideam esse , qui mecum sentiant , quam qui contra : ut , si quem offenderit mea sententia , socios atque adiutores , ubi tempus ferat , multos habeam . Drusus] Liviæ gentis , plebeia ; accusatus a Lucretio . ad Att. l. 4. ep. 16. pater fortasse Liviæ , quam Augustus a marito Ti. Claudio Nerone prægnantem abduxit : quæ alteri quoque filiorum Drusi cognomen , imposuit . Præuaricatione] præuaricatur , qui susceptam causam bona fide non agit . Tribunis ærariis] dixi iam , de tribus ordinibus iudicantibus unum fuisse tribunos ærarios . In summa] ergo , quod ante posui , omnium ordinum sententiæ numerabantur , et ex maiore parte uel absoluebatur , uel condemnabatur reus . ordinum ipsorum ratio nõ habebatur . poterat enim usu uenire , ut a duobus ordinibus condemnatus , ex uniuerso tamen sententiarum numero absolueretur .*

Ego eodem die] *miram diligentiam , mirum amorem erga fratrem . absoluto Druso , quem ipse defenderat , reuersus domum hæc scripsit , rediturus post meridiem in forum ad agendam Vatinijs causam . dictio tamen , Ego , non a Cicerone defensum Drusum , sed ab alio patrono , uidetur indicare . ac fieri potest , ut bis accusatus fuerit Drusus , et eum Cicero de uno crimine , de altero , de præuaricatione scilicet , alter defenderit . locus certe ad Atticum ille , 63 . Deinde me expedit ad Drusum , inde ad*

Commentarius in lib. xi.

Scaurum ; actas a Cicerone tum Drusi, tum Scauri
causas demonstrat. Post meridiem] bis igitur
in die iudicia, ante meridiem, & post. de ijs, qui
ante meridiem, non puto opus esse, ut probetur
exemplis. patet ipsa per se res. post meridiem, no
cari possit in dubium: sed illud in Verrem dubitan-
di causam aufert. Nonæ sunt hodie Sextiles: hora
nona conuenire cœpistis. et illud in epist. Cœlij. Caus-
sas agit, sed raro post meridiem. Vatinius] de-
fendit eum, cum accusasset antea, Cicero Cæsaris
caussa: cuius amicitiam quanti æstimet, hæ ad fra-
trem epistolæ declarant. nam Vatinius Cæsare con-
sule tribunatum pl. gesserat, legesq. pro Cæsaris po-
tentia multas, inuito senatu, collegis etiam suis de
cælo seruantibus, pertulerat. itaque magnis sibi
Cæsarem beneficijs obstrinxerat. nec Cæsar ei, nec
Cæsari Cicero, cuius in exercitu legatus erat Quin-
ctus, poterat opem suam denegare. Est etiam illud
in epistola ad Marium, ad hanc quasi leuitatem in
hominibus iisdem & accusandis, et defendendis ex-
cusandam: Cogor non nunquam homines non opti-
me de me meritos, rogatu eorum, qui bene meriti
sunt, defendere. Huius defensionis meminit Pedia-
nus in commentarij præmio pro Scauro, & ipse
Vatinius in epistola. Facilis] non deest quod pro
illo dicam. Fore significat ut defensionem facile se-
quatur absolutio. Reiecta] non tamen futura.
usque enim eò producta res est, ut consules, non ha-
bitis comitijs, magistratu abierint. Scauri] de
repe-

repetundis accusati. *Asconius*. Statim] falso pu-
 rat. non enim statim, sed aliquot post diebus acta
 Scauri caussa est, IIII. nonas Sept. ut *Pedianus* do-
 cet. hanc autem epistolam ante Septembrem esse da-
 tam, inde conyicio, quod proxime dixit: Comititia in
 mensem Septembrem reiecta sunt. Exercebi-
 tur] apud M. Catonem pratore. is enim de repe-
 tundis quaesivit. *Asconius*, & hic ep. 8. l. 3. Non
 deerimus] ita non defuit, ut *Scaurus*, eo defen-
 dente, sit absolutus. *σωδείπυς σοφοκλέυς*] uidetur
Quinctus in parte epistolae narrasse, quid sibi conti-
 gerit in quodam conuiuio, perquam simili cenae in
Sophoclis fabula descriptae. nam si, conuersam in la-
 tinum a *Quincto* *Sophoclis* fabulam, quae *σωδείπυι*
 inscriberetur, significaret; nunquam, opinor, fratris
 ingenium tam rustice notasset, ut diceret, quod sub-
 iungit, Nullo modo probaui. Actum] in eo con-
 uiuio tu quidem egisti, quod eam fabellam reprae-
 sentaret: ego tamen nullo modo probaui. De Bri-
 tannia] de aduentu uestro in Britanniam. Reli-
 qua] de bello, quod in ea geretis. Expectatio-
 ne] de successu belli nihil timeo: futurum auguror,
 quod opto; eaq. me sollicitat expectatio. Adiuua-
 bo] in Britannica historia componenda. Quos
 rogas,] rogabat *Quinctus* fratrem, ut uerius,
 quibus ipse ad opus Britannicum pro suis uteretur,
 scriberet. id infra satis patet ep. 1. l. 3. ex illis uer-
 bis: Tibi, quod rogas, quoniam ipsi fontes iam fi-
 tiunt, si quid habebis spatij, scribam. & ep. 4. l. 3.

Commentarius in lib. 11.

ex illis : De uersibus , quos tibi a me scribi uis .
 γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας] *cum ipse uersus optime facias . In*
fra dixit , eadem sententia : Quoniam ipsi fontes iam
sitiunt . prouerbiū ijs de rebus usurpatum , quas ad
eos , qui abundant , mittimus . noctua enim suos nū
mos Athenienses signabant . Primum librum]
forte intelligit tres libros ; quos a se de suis tempori-
bis conscriptos , in epistola memorat ad P. Lentulū :
aut tres de consolatu , de quibus ad Atticum ep. 1. l.
2. aut poema illud , de quo ad eundem ep. 8. lib. 4.
 ῥαθυμώτερα] *minus accurata , scripta indiligentius ,*
uideri sibi aiebat . Aut res , aut ἰχαρακτήρ] aut
argumentum , aut meum scribendi genus . quod u-
no uerbo se nō posse satis exprimere significat , quia
 χαρακτήρ , *dicit . Quod uereare :] si uerum dixe-*
ris . ego enim nihilo me , quā̄m antea , minoris aesti-
mabo . φιλαλήθως] cum studio ueritatis , uere , &
ex animo .



P A V L I M A N V T I I
 commentarius in librum
 tertium Ciceronis
 epistolarum ad Quinctum fratrem.

E P I S T O L A P R I M A .

L. Domitio Ahenobarbo, C O S.
 Ap. Claudio Pulchro,

A M O E N I T A T E fluminis] *de Fibi-
 breno flumine intelligit : quo nihil amœ-
 nius , nihil frigidius : ut in libro II. de
 legibus . Refeci] recreavi , collegi ,
 caloribus debilitatum , atque afflietum . Ludor-
 um] Romanorum : qui pridie nonas Sept. com-
 missi , per nouem continuos dies in Palatio , ante ma-
 tris magnæ templum ab adilibus cur . fiebant : rur-
 susque , biduo intermissi , per quinque dies in circo .
 hoc & κ alendarium uetus Romanum , & alia uete-
 rum monumenta declarant . Tribulibus com-
 mendatis] ut eis meo nomine ad spectandos ludos
 locum daret . moris enim erat , ut amicis & tribuli-
 bus & in circo & in foro locus ad spectandum dare-
 tur . ad Atticum ep. I. l. 2. & pro Murena . Tri-
 bules autem intellige non eos tantum , qui Romæ do-
 micilium haberent , uerum & municipes , & si qui
 præterea ciues in Italia habitarent : quos interdum*

R 2 ad

Commentarius in lib. III.

ad urbem uenisse ludorum spectandorum causa, si-
mille ueri est. Arcano] Quinti prædio: de quo
ep. 3. & 9. Melsidium cum Philoxeno] re-
demptores erant aquæ deducendæ, quod in hac ipsa
epistola, infra, uidetur posse conijci. Herum]
uillicum in Arcano, ut Nicephorum in Laterio,
quem infra nominat. Manliano] fundo, in quo
uillam Diphilus architectus edificabat Quinto.
Nec dubito, quin et Manlianum, & Fusidianum,
& Bouilianum prædia fuerint in Arcano, non ab
Arcano seiuncta. nam in epistola huius libri III.
cum argumentum huius epistolæ breuiter attingit,
Arcanum, et Laterium dumtaxat nominat, omiſſis
Manliano, Fusidiano, Bouiliano, quasi Arcano
comprehensis. Diphilo] se ipſo: erat enim natus
ra tardus. Diphilus, inquit, se ipsum tarditate supe-
rauit. Auuarium] locum in uilla, ubi aues ale-
rentur, aliæ oblectationis, aliæ cibi causa. Pau-
mentata porticus] pulcherrimo strata pauimen-
to. erant autem apud ueteres & ex marmore ma-
gnifica in primis pauimenta, & ex emblemate uer-
miculato, hoc est ex opere tessellato: cuiusmodi non
nulla hodieq. uisuntur in templis, aspectu perquam
iocunda. Tota patet] quod antea, dum edifica-
retur, instrumentis fabrilibus impedita, tota non
pateret. Columnæ] circa porticum: quæ rudes
& impolitæ dum erant, speciem aut dignitatem ha-
bere nullam poterant. Totum in eo est] tanti
est, ut in eo sint omnia. sic locutus est ad Att. lib.

v. ep. 20. Continuum] ne incrustatio rimas
 agat, ne vitium faciat. Eiusmodi membra]
 quæ atrium nisi habeat quasi membra corpori ad-
 iuncta, non belle positum uidebitur. Vel hone-
 state testitudinis] ego mehercule huic loco, tan-
 quam ulceri corrupto, manus ad mouere nix audeo:
 indicabo tamen, quæ potuerit sententia Cicronis ef-
 se: quo diligentius attendatur, si quid, quod ad eã
 uideatur accedere, in antiquis libris aliquando repe-
 ritur. una enim me litterula, in magna perturba-
 tione errantem, sæpe ad correctionem, quasi uia de-
 monstrata, perduxit. hoc igitur fortasse Cicero sen-
 sit. Nunc hoc uel, in æstate, testitudinis, uel, hie-
 me, æstiuum locum obtinebit. ut hoc dicat. Ve-
 rum (nam sæpe, Nunc, pro uerum, Cicero usur-
 pat: quod item Græci faciunt) hoc, id est, quo mo-
 do porticus nunc est, in æstate loco testudinis erit;
 hieme uero, quod habent æstiuua loca, id obtinebit.
 optamus autem in æstate algorem, hieme teporem.
 & algorem quærentes, fornicatis cameris, quæ uo-
 cantur testudines, libenter utimur: quod æstate fit.
 teporem uero quia non habent nisi, quæ sol aduer-
 sus diu spectat, loca, ea nos per hiemem tenent. por-
 ticus igitur, ut est nunc, id habebit commodi, quod
 in æstate testudines, hieme æstiuua loca. Assa] ui-
 dentur hic assa pro hypocausto, qui locus in balnea
 rijs ad sudandum fuit, usurp. tri. Apodyterii]
 ubi uestes in ituri balnea deponebant. ἀπό τῆς ἀποδυ-
 τῆρος. Sub tectum cubiculi] Antiqui libri, quos

Commentarius in lib. I I.

uiderim, Subiectum cubiculi . placeret, Subiectum
 cubiculis . inferior enim eorum cubiculorum , quæ
 erant in ulla Quinæti , contignatio uapore peteba-
 tur : quod incendij causam præbere potuit . Hi-
 bernum] ædificantur in amplis ædibus quædam
 ad æstiuæ anni tempora , quædam ad hiberna . Pro
 bauerunt] sicuti tu fieri mandaras . Perpendiculo ,
 & linea] perpendiculo , ut rectas , linea , ut e re-
 gione collocet . e regione autem columnæ sunt , cum
 altera alteri ex aduerso respondet . Cæsius] uilli-
 cus Quinæti , aut certe procurator . Proximis
 nuntiis] quem tibi a me emptum , proximis nun-
 tiis significaueram . HS CCCIOOOO ∞] tria mil-
 lia (ut ad nostratis pecuniæ rationem numeremus)
 aureorum scutatorum . Sed illa nota , ∞ , uidetur
 abundare , cum assium centum millia sic scribantur,
 CCCIOOOO . Quod melius intelligo] nam de
 irrigatione , qui huius generis non intelligens magno
 pere sim , haud ita affirmarim . Salientibus] a-
 quis , quæ sua sponte saliant : quam permultis locis
 aquam profluentem , et eam uberem , proxime ap-
 pellauit ; in ultima uero huius libri epistola Nilum ,
 ut puto , a similitudine fluminis hinc inde in mare
 profluentis , nominauit . distinguuntur autem salien-
 tes ab ijs , quæ oriendo cadunt , non saliant : ut pla-
 nis in locis saliant , de præcipitibus cadant . Addi-
 tis] ad suauitatem uillæ accedet ea , quam piscina ,
 salientes , palæstra , silua conferent . Viridica-
 ta] nouum , et forte , in ijs quidem , qui extant , ue-
 terum

terum libris, singulare uerbum. quasi, uirente. qua
 ratione & albico, nigrico usurpantur. Bouilia-
 num] non est a familia, ut Fusidianus, quem pro
 xime nominat, fundus, (nulla enim Romæ Boui-
 lia familia) sed ab ignobili loco nomen ductū. Sunt
 quibus placeat, Bouiliannm, a Bouillis, ubi Clo-
 dius est interfectus: quos refellit geographiæ ratio.
 Bouillæ enim inter Ariciam & Romam, fundus
 autem hic in Arpinati fuit. Aqua dempta] ex
 cepta in uenditione fundi: ut, alienato fundo, aqua
 tamen iuris tui sit: quâ ad irrigandos finitimos fun-
 dos illorum dominus locare posses. Iure consti-
 tuto] dicit hoc; si ius aquæ constituatur, hoc est,
 si ius aquæ Quinto seruetur, seruitutem fundo im-
 positum iri illius aquæ, neque tamen fore, ut mino-
 ris, quàm quanti cum aqua, uendi fundus possit.
 quam igitur aquam Messidius per tuos fundos dedu-
 cendam redemit; (hoc enim proxime dicit) eam
 nolo te cum fundo Bouiliano alienare: sed, ius ei a-
 quæ suadeo constituas, hoc est in tuo iure retineas:
 ut ex duobus mancipijs, fundo, et aqua, unum em-
 ptoris fiat, alterum esse tuum pergat; ius, inquam,
 fundi migret ad emptorem, ius aquæ penes te re-
 maneat. Seruitute fundo illi imposita] quia
 fundus aquæ seruiet, cum ea cogetur uti. unde enim
 irrigetur, aliunde non erit. ita, si fundum uendes,
 qui eius futurus dominus est, is tibi aliquid pendet,
 si fundo suo consultum uolet. Messidium] re-
 demptorem deducendæ aquæ: qui singulos in pedes

Commentarius in lib. III.

alvei faciendi ternis nummis transfegerat . supra de
 Messidio dixit, quod hęc sententiam confirmet: V be
 riorē aquam: sese collecturos dicebant . Ternis
 nummis] festerijs . duodecim igitur assibus, hoc
 est marculis in pedem . nam festerius est duodecim
 trientes, hoc est asses quattuor: et quattuor fester
 tij denarius, hoc est asses XVI: et denarij septem in
 argenti uncia, dragmę autem octo: si Celso & Pli
 nio credimus . tanti enim Romę fuisse denarios a se
 cundo Punico bello ad Plinij tempora, ipsius Pli
 nij testimonio cognoscitur . cccc ∞] absurda
 mensura . sunt enim passuum quadringenta millia .
 ita plus, quàm dimidium Italię longitudinis, occu
 passet hęc aqua . malim igitur, ordine præpostero,
 ∞ cccc: ut sint mille quadringenti passus, hoc
 est pedum septem millia . quę summa ad DCXXX
 scutatos aureos nostratis pecunię perueniet . Nus
 quam melius] quàm in aqua deducenda . Di
 scipulos] quos fabricandi & architectandi artem
 Chilo docebat . Laterio] Quinti fundo in Arpi
 nati . ad Att. ep. 7. l. 4. & 1. l. x. Ad Furinę]
 templum . antiqua locutio, e gręcis fontibus deriu
 ta . Furinalia dies festus eius de x, VIII. kal. Sext.
 Varro, Festus, uetus kalendarium . Satricum]
 oppidum in Latio . Mutabitur] iniicietur gla
 rea, sublato puluere . Acclius] quam ego ma
 lim planam fuisse . Duci] uiam . sic aquam duce
 re, supra . Locustę] fundum . gręca locutio .
 Veluinus] Varro . nam de iisdem loquitur pro
 xime

*xime nominatis . Munierat] uiam . & hoc signi-
 ficat . cum tu id ius haberes , ut uiam ducere per Lo-
 custa , per q̄ . Varronis fundum posses ; neque tamé ,
 qua tua fuit modestia , feceris : illi , ut quasi tibi gra-
 tiam reserrent , eam uiaē partem , quæ ante fundos
 eorum est , munire debuerunt : quod Varro prope-
 modum effecit : Locusta non dum attigit . Proba-
 ui] satis officio suo facere mihi uisus est . Condu-
 ctorem] uillam habebat Quintus in Laterio , fru-
 galiter exstructam . ad eam cum addere quandam
 ædificatiunculam decreuisset , uillicus conduxit opus
 illud HS XM , hoc est aureis scutatis CCC . sed cum
 multo plura , quàm conuenerat , adiungere quin-
 ctus uellet , ad pretium autem nihil ; uillicus eam æ-
 dificatiunculam omisit . Quæ nunc est] admo-
 dum frugalis , & parca , ualde infra earum , quæ
 nunc fiunt , insaniam . Topiarium] opus ex he-
 dera . Basim] inferiorem uille partem . basis ; e-
 nim quasi pes est ad sustentandum . Intercolum-
 nia] spatium inter columnas . Palliati] marmo-
 rea hominum simulacra , secundum columnas utrin-
 que astantia . Topiarium facere] qui topiarium
 faciunt , herbam , aut fruticem ad speciem aulei ,
 aut columnæ , aut fontis , alterius ue rei conformant .
 palliati igitur hi , inter columnas constituti , topia-
 rium facere , aut hederam , qua intercolumnium ue-
 stitur , uendere uidentur . Alsius] alsum et alsi-
 sum est subfrigidum , ab algo . Muscosius] non
 quia muscum habeat , sed quòd æque , ac muscus in-
 hu-*

Commentarius in lib. I I.

humidis locis, obletetur. Expolitionem] Iam
 pene prorsus ædificauerant utriusque domum re-
 demptores. expolitio restabat, perfectio scilicet æ-
 dium urbanarum. expolitur enim quod factum qui-
 dem est, non dum tamen plane perfectum. Infra, e-
 pistola I I I. Expolitiones utriusque nostrum sunt
 in manibus. Philotimus, & Cincius] ille Mar-
 ci, hic Quincti nomine. Philotimus enim Terentia
 libertus, Cincius Attici procurator; cuius Pompo-
 nia soror, Quincti uxor erat. Facile factu] quia
 domus utriusque cohærebant, simulq. ædificaban-
 tur. patet supra, & infra. Cicerone] Quincti
 filio. Ignosco] quia non facis quod te decet, cum
 fratrem tui amantissimum tam sæpe rogas: quasi
 mea tibi uoluntas, aut amor in dubiū ueniat. Igno-
 scas] si dixerō, non plus illum a te amari, quàm
 a me. Clamores] mirabilia. dictio de magnis re-
 bus atque admirabilibus usurpata: ubi clamores ex-
 citantur. ad Atticum l. I. ep. 12. Otiosum]
 refertur ad utriusque otium. otiosum igitur, ut pos-
 set me per otium audire: quod in urbe non potest,
 propter meam occupationem. Tanta mercede]
 qua? quam diuinare, cum epistola Quincti non ex-
 tet, nemo potest. mercedem tamen non pecunie,
 non fundi, sed amoris puto fuisse. forte enim ita scri-
 pserat Quinctus: Si Ciceronem meum erudieris; e-
 go te plus amabo. uide ep. 4. In tuis] ad te scri-
 ptis a me. In Cæsaris] ad Cæsarem scriptis ab
 Cppio. Oppius] Cæsaris in urbe procurator, is,
 qui

epist. ad Q. fratrem. 134

qui scripsit librum VIII. de bello Gallico. Fone
bis] custodies, conseruabis. Quod mones] for
te, ut eum coleret, atque obseruaret. erat enim hoc
tempore summa inter Cæsarem & Pompeium, so
cerum uidelicet ac generum, necessitudo. postea,
Iulia mortua, societas, quæ non admodum, ex in
uidia Pompeij, hærebat, prorsus dissoluta. Do
lore] quòd a me absis. Gaudeo] quod istic ui
deo te libenter esse. Hippodamis] qui equos do
mant. de uno autem intelligit hippodamo: etsi de
pluribus cum contemptu & stomacho loquitur. in
fra, hac ipsa epistola. Expectet] si ad te uenerint.
Quòd isto admisceas] scripserat, puto, Quin
ctus, operam se daturum, ut illi, quos arcessierat,
atque etiam Trebatius, liberaliter ab ipso tracta
rentur. hoc, inquit Cicero, nihil opus est. ego e
nim illum non ad te, sed ad Cæsarem misi: qui mihi
iam satisfecit; quoniam quidem eum, mea commen
datione adductus, accepit humanissime. Si ipsi
minus,] quòd ei fortasse non admodum se familia
riter præbeat, aut quòd eum ad negotia nõ dum ad
hibuerit. Præstare nihil debeo] quod amicitia,
quæ mihi cum Trebatio est, postulabat, id feci, ut
eum Cæsari studiosissime commendarem: reliqua
præstare non debeo. Ab eo uindico] nolo te
Trebatij caussa laborare. libero te ista cura. satis
amicitiæ factum est, cum illum Cæsari litteris accu
rate scriptis commendauim. quæ extat fam. lib. VII.
Balbum] L. Cornelium Balbum, Cæsaris amicis
simum.



Commentarius in lib. III.

simum, Gaditanum, urbe donatum: pro quo extat Ciceronis oratio. In oculis fero.] unice diligo, nota locutio. Trebonium] Caium, legatus erat hoc tempore in exercitu Caesaris: anno proximo tribunus pl. rogationem tulerat, ut Caesari Galliarum administratio in alterum quinquennium prorogaretur: praeturam gessit C. Caesare II. P. Servilio Patia cos. consulatum cum Q. Fabio Maximo: postremo, cum Caesarem, quem civili bello secutus erat, cum alijs coniuratis occidisset, Smyrnae a Dolabella primus eorum, qui Caesari mortem attulerant, est interfectus. Curtio] de quo ep. 14. l. 2. Salutem nostram] quo tempore nostra salus agebatur; cum eiectus sum, cum restitutus. Quoniam illi] Quoniam illis negare non possum; neget ipse mihi, quod eorum causa peto. ipsi, negari sibi a me, non facile patiuntur: ego, mihi a Caesare, facile patiar. Molesti sunt] in petendo. Metuamus] belli causa. Gaudeamus] ob praedam tenuem. alibi: Argenti audio in illa insula scrupulum non esse. Veniam non dedit] cui tu peteres per amicitiam, ut ad P. Clodium rescriberet; (quia nolles Caesarem nostra causa facere, ut respondendi officium omitteret) satisfacere tibi noluit. id enim significat, Tibi veniam non dedit. itaq. locutus est in epistola ad Atticum ultima lib. v. Dedi veniam homini impudenter petenti: id est, concessi, satisfeci in eo, quod impudenter petebat. Caluenti Marii] L. Pisonem, cuius maternus

aus, ut apud Pedianum legimus, Caluentius est appellatus, uidetur intelligere. Caluentum cur possis, quàm Caluentium, cur item Marii nominet, haud facile dixerim. nisi si inter Quinctum et Marcum iam conuenerat, ut eum fictis nominibus, Cæsaris maxime caussa, qui Pisonis erat gener, appellerent. Oratione] quam in urbem reuersus in Ciceronem habuit; cuius e sententia senatus illi de prouincia reuocauerat. Meam] de prouincijs consularibus, hoc est de Pifone Gabinioq. reuocandis.

Libros meos] de republica. epist. xiii. lib. ii. His diebus] uel, His diebus, quibus me a scribendo auocant iudicia: uel, quia opus ipsum esset eiusmodi, ut ijs diebus confici non posset, ac spatij plus omnino postularet. Pro Scauro, & pro Plancio] illa de repetundis, hæc de ambitu. utraque extat, sed pro Scauro mutilata. Incidi] quia mihi non probaretur. Hoc poema non esse idem, atque illud, de quo in epistola xiv. libri ii. ostendimus infra in epistola ultima huius libri. Fontes iam sitiunt] mirum est sitire fontes, unde aqua peti solet. itidem miror, uelle te, uersus tibi, optimo poetæ, a me componi. Supra idem alio modo significauit: γλαῦκα, inquit, εἰς ἀδύνας. epistola ultima lib. ii. & epist. i v. & vi. huiusce libri.

Bene comitatum] cum multis pecunijs. ioco enim usus erat Quinctus. Ambitionem] ut nullum studium prætermittam, dignitatis augenda caussa. Viuemus?] uita fruemur & sic alibi. Eri-




Commentarius in lib. II.

gonam] *tragædiam: quam se scripsisse, & ad Opium misisse, significauerat. amissam in itinere, ul tima demonstrat huius libri epistola. Erigone soror Penelopes occisum a rusticis ebrijs patrem ita doluit, ut ipsa se suspenderit. miseratione deorum in cæleste signum conuersam, poeta fabulantur. Plautu] a populo Miloni dato. Nobis] cum illi ideo detur plausus, quia consulem Lentulum Spintherem, legem comitijs centuriatis de meo reditu ferentem, enixe admodum iuuuit. De æde Telluris] de operibus, puto, loquitur, & inscriptionibus illis, de quibus epist. VIII. lib. II. De porticu Catuli] non dubito, quin, quæ ad ædem Telluris, eadem, aut similia fieri ad porticum Catuli Quinctus uellet. quod ex ijs conijcio uerbis, ad Telluris quidem. quasi, Hoc amplius ad ædem Telluris, quàm ad Catuli porticum, quòd ibi etiam tuam statuam locauit. Admones] ut emam. Domus] pecunia publica ædificata: quod ipse in Pisonem, alijsq. docent. pecunie uero summa HS uicies fuit, hoc est scutatatum LX M. ita porro magnifice, atque eleganter facta uidetur fuisse, ut neque uillas, neque hortos Cicero desideraret. nam & in epistola ad Leptam, Domus, inquit, est, quæ nulli uillarum mearum cedat. Multorum fastigiorum] tectum conclauia tegebunt. id nolebat Quinctus descendere pluribus angulis, & lateribus, (sic enim multa fastigia habuisset) sed uno tantum fastigio uergere in tectis inferioris porticus. quod factum Cicero significat.*

Honeste] *decenter, speciose, minime turpiter.* Vergit] *quia est unius fastigij, ideo uergit molli cliuo. non uergeret autem, inæquale si esset, lateribus lenem accliuatatem interrumpentibus.* In tectum] *duo igitur tecta, quod supra conclauia, & quod supra porticum.* Cetera eius] *eruditionem significat.* Suscipio] *ita promitto, ut uelim me, nisi is erit, quem tu esse uis, quasi prædem appelles.* Gabinium] *e Syria reuersum.* Tres] *una de maiestate, L. Lentulus; duæ de repetundis, Ti. Nero, & C. Memmius. accessit postea, item de repetundis, quarta factio, C. & L. Antonij; ut in epistola, quæ sequitur: etiam quinta, de ambitu, P. Sylla, ut infra, & ad Atticum ep. 16. l. 4. est autem absolutus Gabinius de maiestate, damnatus de repetundis. infra, & ad Atticum ep. 16. lib. 4. & Dio lib. xxxix. Adhuc] quasi aliæ præterea possint existere, sicuti, ut dixi, extiterunt quarta, & quinta. Postulant] *non dum postulauerant, sed postulaturi uidebantur. unus enim L. Lentulus postulauerat: quod proxima uerba declarant. Lentulus] quem, absoluto Gabinio, præuariatum multi credidere. ad Atticum ep. 16. l. 4. Flamini filius] ut distinguatur a L. Lentulo Crure. sic ad Atticum ep. 24. l. 2. Iam postulauit] propterea de maiestate prius, quam de repetundis, Gabinius causam dixit. infra, & ad Atticum ep. 16. l. 4. De maiestate] apud C. Alsum prætorem; quod prouinciæ finibus excessisset, dum regem Pto-**

lemæum



Commentarius in lib. III.

lemaum in Aegyptum reducit. Ti. Nero] hic, opinor, is est, qui Tulliam Ciceronis filiam uxorem cupiuit, ut legimus ad Atticum ep. 6. l. 6. et Liviam postea duxit, ex qua Tiberium imperatorem genuit. Velleius. C. Memmius] alius fuit C. Memmius, qui praturam gessit Pisone & Gabinio cos. & hoc anno cum consulibus de sequentis anni consulatu coijt, ad Atticum ep. 18. l. 4. Capitone] subscriptore. fuit autem Capito gentis Ateia, plebeius; Memmius, plebeius; Nero Claudia, patricius; (nam & Claudij Marcelli fuere, plebeij) Lentulus Cornelia, patricius. fuere & Cornelij plebeij, non tamen Lentuli. Cato] M. Cato praetor; qui de repetundis hoc anno quaesivit. eo aegrotante, postulari Gabinius de repetundis non poterat. Sed cur tot annis praetor Cato post tribunatum pl. quem gessit Silano & Murena cos. ? quia, qui fuit ei legitimus annus petendae praturae, Pisonis & Gabinio cos. eo anno in Cyprum Clodia rogatione ante comitiorum tempus emissus est: nec redit, nisi biennio post, Marcellino & Philippo cos. quo anno habita comitia non sunt: et ex interregno consules facti Pompeius et Crassus: quibus comitia praetorum habentibus, cum praetorem Catonem populus faceret, Pompeius, in Vatinius propensior, auspicia mentitus, comitia dissoluit. ita in annum sequentem reiecta Catonis petitio est: quo anno, Domitio & Appio cos. ex interregno creatis, praturam obtinuit, & gessit. Pompeius] quo conten

dente , Gabinius de maiestate est absolutus . ad Atticum ep. 16. l. 4. Nec proficiet] immo profecit : ut etiam Gabinium , quem paullo ante accusauerat , mox rogatu Pompeij , non sine aliqua leuitatis nota , Cicero defenderit . Dio , & fam. ep. 1. lib. 7. Coitione] de qua iam diximus . ad Att. ep. 18. l. 4. Messalla] quem maxime Cicero diligebat . itaque , Noster , de eo dicit et infra : Eniue mur , inquit , ut Messalla noster saluus sit . et in epistola ultima : Messallam nostrum , reliquosq. molestia liberatos , uehementer gaudeo . et ad Atticũ ep. 16. l. 4. Messalla noster liberalis in populo ualde fuit . Excluderetur] coire enim] turpi pactione noluit . ergo uir bonus . iam enim dixit Cicero : Eiusmodi pactiones in ea coitione factæ , ut nemo bonus interesse debuerit . Satisfacio] efficio , ne quas in me amoris aut officij partes desideret : quod attinet ad illius petitionem consulatus . Memmio] qui poterat duobus Cicero competitoribus satisfacere? quia neuter neutri oberat . Messalla enim patricius , Memmius plebeius . ita nihil obstabat , quin uterque simul consul creari posset . Domitio] Caluino , consulari candidato ; qui consul fuit anno proximo cum Messalla . Ipsi] non modo reliquis tribus , sed ipsi Domitio , qui non ea , qua illi , mihi est amicitia coniunctus . Scaurum] ultimum nominauit de consularibus candidatis . quattuor enim omnes fuerunt , Messalla , Memmius , Domitius , Scaurus . defendit eum de repetundis ac

S cusatum,



Commentarius in lib. III.

cusatum, apud M. Catonem pratorem. Valde obligauit] est enim absolutus, ad Atticum ep. 16. l. 4. & Pedianus. Quando comitia, & qui consules] dixi iam, comitia hoc anno habita non esse; consules uero, anno sequenti, Messallam & Caluinum ex interregno fuisse. Sept.] aut hoc tollerem, aut, Oct. reponerem. qui enim potest epistolam complicare XI. kal. Sept. cum meminerit iam in ipsa epistola de XII. kal. Oct. seq. dixerit Romam uenisse XIII. kal. Oct.? Suauissimis] refertis humanitate, atque amore. Ille casus] quem mihi Cæsar litteris significat. at qui casus? de interitu Iuliæ filiæ, dicet aliquis: alius, de legatis, & legione cum cohortibus cæsa. ego neutrum. nam de filia, quæ Romæ obiit, satis ipse sine Cæsaris litteris norat. nec diceret, Ille, ut de re longinqua: neque, Casus; sed, Luctus: de legatis autem, & legione ratio temporum non patitur intelligi. cladem enim illam non dum Cæsar acceperat. hieme sequenti id euenit. quod libro v. commentariorum ipsius exponitur. itaque & Cicero ipse in epistola huius libri ultima, quam scripsit in extremo anno, calamitatem eam significat, cum Cæsaris in summo dolore uirtutem & grauitatem commemorat. de filiæ uero obitu in epistolæ clausula significat, ubi Cæsaris luctum nominat: quæ in mortem proprie dictio conuenit. Casum igitur puto dici, naufragium multarum nauium in Oceano: de quo libro IIII. commentariorum de bello Gallico mentio fit.

tres enim aduersi, maximeq. tristes Casaris euentus tribus in locis attinguntur, naufragium, interitus filiae, caedes legatorum. Cum Publilio] locutum. qua de re, incertum est. Interiore epistola] loca sunt in antiquorum scriptis, quae cum legimus, quasi plana praeterimus: deinde, quid ea sibi uelint, ubi quis interroget, haeremus, incerti quid respondeamus; ac tum denique nostram siue in scitiam, siue negligentiam, non sine aliquo pudore, agnoscimus. hoc, Interiore epistola, ecquis est, qui satis accurate perpendat? natura enim, ac ratione quoque ipsa comparatum est, ut ea, quae narranda proponuntur, paullo minus diligenter, quam eadē, cum narrantur, attendamus. quoniam igitur hic proponitur, non narrantur res; (narrantur autem in eo, Me Pompeio legatum iri) ideo fit, ut neque oculus in legendo, neque animus in cōsiderando, pro eo, quantum opus sit, insistat. oculus praeteruoluat; quasi res, quae studiose spectetur, parum digna sit: animum ad ea, quae proponuntur, cognoscenda cupiditas ducit. ita, quae duo uerba, (haec dico, Interiore epistola) uel diligenter considerata, minime tamen a multis, ut opinor, intelliguntur, ea ne considerantur quidem. de quibus ego sic existimo: interiorem epistolam uocari, non eam epistolae partem, quae a principio & a fine pari distet intervallo, sed eam, quae ab extremo propius absit, quam a principio. id adeo cognoscetur, si, quod apud antiquos epistolae claudendae genus esset, ostendemus. non enim



Commentarius in lib. III.

nim tunc, eo, quo nunc solemus, modo, complicabantur, sed in orbem inuoluebantur epistolæ, ita, ut, quæ ultima scripta in pagina pars erat, inuolueretur prima; quæ prima, ultima. itaque proprie uolumen una epistola & erat, & dicebatur. idq. Ciceronis testimonio comprobatur; qui ad Appium scripsit his uerbis: Volumen a te plenum querelæ iniquissimæ reddiderunt. et infert: Eadem epistola petebas. morem eundem uideo teneri ab ijs, qui scriptum pretio faciunt: quos uulgo notarios nominant, scribas antiqui appellabant. quod enim hædinis uitulinis ue scripserunt in pellibus, id ita contrahunt, et quibusdam quasi spiris ipsum in sese conuertunt, ut inuolucrum efficiant; ne ue sua sponte laxetur, circumducto eiusdem pellis quasi uinculo, astringunt. eadem erat olim forma litterarum. hoc amplius: ne a tabellarijs aperiri possent impresso suo quisque signo cauebat. inde litterarum fasciculus nomen sumpsit: quod, ut coniunctæ constrictæq. uirgæ fascis est, item litteræ a tabellarijs in unum, quasi uirgæ in fascem, coniectæ, colligatæq., quodam modo fascis exigui formam præferrent. proprie igitur uolumen de re in orbem collecta, ut de epistola, de fascia: improprie de re non orbiculata, ut de libro. tametsi olim, apud priscos illos, de libris quoque proprie. scribebantur enim in libris, unde nomen sumpserunt, hoc est in codicibus arborum: quæ, quod essent ferentibus commodiores, conuoluebantur. Quod autem Cicero dixit, Altera iam pagella pro cedit,

cedit , in epistola ad D. Brutum , fam. l. xi. non de ipsa epistola , quam postea misit , sed de exemplo , quod in codicillis tunc exarabat , intellexit : in quibus unam iam pagellam totam , alteram non totam , sed magnam partem scribendo impleuerat . non enim , cum ita dixit , scripsisse eum in charta uerisimile est : cum illius epistolæ breuitas ea sit , quæ nec unius , quantumuis angustæ , paginæ locum , si de charta cogitemus , nedum unius & alterius , tenere potuerit . at in codicillorum pagellas , quæ contractæ admodum erant , optime conueniet . Quòd si cui fieri posse uideatur , ut ipsos ad Brutum codicillos Cicero miserit : negabo . nam codicilli ad eos tantum , qui iisdem , aut certe minime longinquis in locis essent , mittebantur : quod exempla declarant , ut in proximo libro , & fam. ep. 12. lib. 4. ad Brutum uero , tam longe remotum , Celticam Galliam pro consule administrantem , codicillos dare , cuius ineptiæ fuisset ? nam ne ad Papirium quidem , qui neque prouinciæ præerat , ut Brutus , et multo , quàm ille , proprius aberat , hominem sibi familiarissimæ , codicillos tamè Cicero mittendos putauit , sed epistolam e codicillis descriptam . fam. ep. ult. lib. 1x.

Neque uero mirandum est , in litteris , quas inuolui solitas dixi , paginas interdum nominari : quod ab orbiculata inuolucris forma satis alienum uideri potest . nihil enim minus inuoluebantur , quæ pluribus paginis litteræ , quàm quæ una tantum pagina scriptæ fuerant , cumq. omnes eodem modo inuol-



Commentarius in lib. III.

uerentur ; ideoq̄. , si forma spectaretur, itidem omnes uolumina possent, appellari : usitatius tamen erat, ut longioribus de litteris, quæ plures haberent paginas, uoluminis uocabulum usurparetur. idq̄. satis patet ab exemplis. Pompeio] in Hispanias proconsule ituro. sic enim putabatur. uerum non iuit ; easq̄. per tres legatos, Afranium, Petreium, Varronem, administrauit. decreta est ei lege Trebonia, Crasso uero collegæ Syria, utrique in secundo consulatu. Plutarchus, alij. Non audiui] quo modo hoc ? cum ipse ad Cæsarem aliquot mensibus ante de hac legatione scripserit. extat, quæ hoc significat, epistola lib. VII. fam. in qua Trebatium commendat. loquitur igitur de recenti rumore : de quo se negat audisse. falsum tamen non fuisse, ex eo discitur, quod ad Atticum in extrema epistola lib. IIII. scriptum est. Sed heus tu, inquit, scripserã ne tibi, me esse legatum Pompeio, & extra urbem quidem fore ex idibus Ian. ? Scripsi que ad Cæsarem, Vibullium Cæsaris mandata] erit, cui non placeat iteratum Cæsaris nomen. sed si, cum, Cæsaris, legimus, 'animo spectabimus, non Cæsarem, ad quem Cicero se scripsisse narrat, sed Quintum, qui hæc leget ; feremus. De mea mentione] quam Cæsar cupiebat ; ut eius ope, atque autoritate, quibus in rebus opus esset, uti posset. Supra, quod hoc declaret, illud est : Quod mihi otium, Romæ præsertim, ut iste me rogat, manenti ? 318: Nec ad Oppium.] qui cum Cæsaris in urbe omnia

nia negotia procuraret, ad eum quoque Cæsaris m^a data perferre Vibullius debuit, ut is ageret cum Pompeio, ne me, si Cæsaris caussa uellet, ab urbe remoueret. Quo consilio?] fecit hoc Vibullius? non enim hoc ad Cæsarem placet referri: ne uideatur in eo consilium requirere. Quanquam Oppium ego tenui] quanquam non hoc ideo dico, quia uoluerim Oppium Vibullij uerbis, cognita Cæsaris uoluntate, adduci, ut ageret cum Pompeio de mea mansione. quin ego illum, sua sponte satis incitatum, tenui. rectius enim duxi, Vibullium primo, cui Cæsar præsens præsentem mandauerat, deinde Oppium, cui scripserat, agere cum Pompeio. Bibuli] quid Bibulo cum Cæsare? parum ne notæ sunt quæ inter eos omnium acerbissimæ fuerunt inimicitia? ego, & minima mutatione, & sententia postulante, libenter, pro Bibuli, reposuerim, Vibullij. nam & ad Att. ep. 2. l. 8. pro Vibullij, et Vibullius, libri sunt ueteres, qui, male omnino, tamen habeant, Bibuli, et Bibulus. tota res perpendatur: male omnino sensisse non uidebimur.

[Priores partes] ut is prior ageret cum Pompeio. Nullas δ & τέρως ὀροντίδας] Cum sæpe litteris Marcus Quinto significasset, uelle se, quantum in ipso esset, Cæsaris amicitiam tueri, eiusq. absentis dignitati quammaxime studere, neque in unius Pompeij beneuolentia omnia ponere; (id indicant illa uerba lib. 11. in epistola, Risi: De Pompeio, assentior Cæsari, uel tu potius mihi. nam, ut scis, iam

Commentarius in lib. III.

pridem istum canto *Cæsarem*: mihi crede, in finis
 est, neque discingor: et illa, in epistola, *Ad IIII.*
 non. eodem in libro infra: *Quoniam in hoc homine*
colendo tam indormiui diu, cursu corrigam tardita
tem) Quintus, qui iam audisset, fratrem Pom-
peio legatum iri, suspicatus est consilium ab eo mu-
tatum, quippe qui, si cum Pompeio legatus iret in
Hispaniam, de Cæsaris rebus, quas Romæ curari
oporteret, minimum laborare uideretur. cupiebat
enim Cæsar Marcū sua causā, Romæ manere. quòd
ex eo satis patet, in epistola proxime nominata:
Quod mihi tempus, Romæ præsertim, ut iste me ro-
gat, manenti, uacuum ostenditur? ideo Quintus,
ea, qua dixi, suspicione cōmotus, his fere uerbis scri-
pserat: Fortasse tibi δ&τέρας προτιδες σοφώτερας ui-
dentur: hoc est, fortasse consilium de Cæsare muta-
sti, qui cogites in Hispaniam: fortasse posterius ali-
quid cogitasti; idq. magis probas, quam quod antea
constitueras. cui respondens Marcus, Ego uero, in-
quit, meas priores cogitationes, mea de Cæsare co-
lendo consilia nihil mutō; posteriores in Cæsaris re-
bus curas et cogitationes habere nullas possum. atti-
gerat enim, & fortasse integrum recitauerat Quin-
tus senarium illum Euripidis in Hippolyto:
 ,, Αἰ δ&τέρας πῶς προτιδες σοφώτερας:
 ut qui Euripidis lectione mirum in modum tenere-
 tur. quod ipsius epistola ad Tironem fam. lib. xvi.
 ep. 8. testatur: in qua sunt hæc: Euripidi quantum
 credas, nescio: ego certe singulos eius uersus singu-
 la

la testimonia puto . Quod autem , Ego uero , dicit ;
 nis quædam animi significatur moleste ferentis quod
 a Quinto scriptum erat de secundis curis . quo loco
 quasi punctus exiliyt , & , ut de re molesta , Ego ue
 ro , inquit , etc. atque hic , ut alibi sæpe in exponen
 do Cicerone , Erasmi , eruditi hominis , ingenium re
 quiro : qui , cum in suis adagijs hunc locum interpre
 tatur , prorsus aberrat a sententia . hoc ego ita iudico :
 si quis tamen contra , cedam meliora ostendenti .
 Pæne par] secundum te , &] liberos nostros , nihil
 mihi est Casare carius . pæne etiam æque , ac tu , li
 beri q. nostri , mihi carus est . Iam] quia sibi nos
 sua iam liberalitate obstrinxit . Debeo] alios e
 nim amamus , nec debemus , uoluntate quadam , et
 animi tanquam impetu compulsi : alios , quia nos id ,
 quod facimus , recte & cum ratione facere iudica
 mus . Casarem , inquit , eodem pæne , quo te , et li
 beros nostros , loco habeo , quia debeo , summis il
 lius in nos officijs , summa humanitate adductus : ue
 runtamen , ut hæc non essent , quæ sunt maxima ,
 amore coactus idem facerem . ita prudenter admo
 dum hanc partem attingit Cicero . nam in amando
 Casare neque iudicium a uoluntate seiungit ; ne ui
 deatur id facere , quia debeat , potius , quam quia
 uelit : neque uoluntatem a iudicio ; ne significet id se
 uelle , quod fortasse non debeat . ergo & facit iure ,
 & libenter facit . quæ duo simul in amore optanda
 sunt maxime . sed o , si quis omnes Ciceronis senten
 tias , quæ curiosis oculis non patent , aut hæc , aut e
 tiam



Commentarius in lib. III.

tiam multo maiore diligentia (quantulum enim id est, quod ego quidem præstare possum?) aperiret: quàm multa manarent ad inuentionem præclara. ex una mehercule re, tribus aut quattuor uerbis a Cicerone explicata, sæpe intellexi, cum ad cogitandũ me dedi, res propemodum innumerabiles eiusdem generis, eiusdem elici sententiæ posse. Verum hæc non ita nostri propositi tractatio est. terminus enim quasi quibusdam interpretis officium definitur: quibus egredi nullo modo licet. quòd si contigisset, id quod equidem maxime uellem, ut obsequi patriæ meæ roganti, eiq. meam industriam, sæpe iam, primum Egnatio atate confecto, deinde Bonamico mortuo, denegatam, de loco superiore probare possem: a quo me munere, magno sane cum animi mei dolore, ualitudinis infirmitas exclusit: locus ille fuisset ad aperiendos ueteris eloquentiæ fontes uehementer aptus. quæ est una nobilibus in gymnasiis docendi ratio præstantissima: ad quam se suaq. studia honesto loco nati non adolescentes modo, uerum etiam uiri libenter adiungunt. enim uero latent in Cicerone quidem nostro pene innumerabiles, in Græcis, Demosthene, & Isocrate, bene multæ uirtutes eiusmodi; quæ si ad artem ita redigantur, ut eas non oculis intueri modo, uerum etiam mente & cogitatione liceat complecti; facile uideo futurum, ut eleganter & cum laude scribere cupientibus egregiam facultatem, ualdeq. splendidam ac lautam orationis Latine supellectilem biennij pariat

riat exercitatio . hoc nimirum est , quod ego ab eo doctore , qui artem profiteatur , aut unum tradi , aut præcipuum certe uelim . nam , inani uel earum historiarum , quæ a libris peti facile possunt , recitatione , uel figurarum , quas Demosthenes , aut Cicero ne somniando quidem unquam uidit , commemoratione , tempus conterere ; hominis est aut eius , qui suæ potius ambitioni , quàm aliorum utilitati , consultum uelit ; aut eius , qui eam uiam , quæ ad ueram solidamq. gloriam ducit , penitus ignoret .

Ab Aristophaneo modo] sincerum illud puto , Ab Aristophane : corruptum , O modo . emendatio quidem a me nulla . quòd si particula , Ab , tollatur ; de qua tollenda quid statuam , non habeo , cum ea non nullis a ueteribus libris absit , Bessario- nis tamen in libro sit : minima distinctione sententia patefiet ; nec iam suspicio mendii residebit ulla . distinguetur autem sic : Quam paullo ante acceperat , Aristophaneo modo : ut , Aristophaneo modo epistola dicatur , quæ Aristophanis ad similitudinem accedat : puta , quia comicum quiddam in sententijs , ex Aristophanis genere , præseferat . Et suauem , & grauem] quales patris ad filium puerum esse litteras decet : suaues , ob ætatem filij ; cuius habenda ratio est : graues , ut pater patrio quodam tum naturali tum legitimo iure seueritatem retineat . Affixum , tanquam magistro .] hærebant enim magistris pueri , donec prætexta utebantur . prætexta deposita , & uirili toga sumpta , adi-



Commentarius in lib. III.

adibant fere ad iurifconsultos, ut ius ciuile, cauffis
 agendis maxime necessarium, cognoscerent. An-
 nali] Villiæ gentis, plebeix. natum cognomen ab
 eo, qui legem de petendis magistratibus annalem
 in tribunatu pl. tulit. Lilius libro, opinor, XL.
 Et tamen] cum, de illo diligenter curare, satis es-
 set; ea tamen cura non contentus, etiam consilium
 addidisti. Seruilius] Isauricum dici, manifestū
 est. Significat] ergo non erat Cicero Romæ.
 nam, significare, absentis est. Non possum scri-
 bere] quia mirandum non est, sordidi hominem
 artificij humanitatem ignorare. de hoc supra, 322.
 Saluio] is ad Quinctum profectus est VI. id. Oct.
 325. Labeoni] Segulix gentis, plebeix. Re-
 feruabam.] ut is darem eas litteras, quas in alie-
 nas manus incidere minime uelim. Ne num qui-
 dem, quid uellem,] cum iret ad te, qui mihi fra-
 ter es, debuit (alia mitto) hoc saltem, num quid
 uellem, rogare. T. Pinarius] Lucij fortasse fra-
 ter, quem C. Cæsar, nepotem sororis suæ, heredem
 cum Q. Pedio, & C. Octauio reliquit. de quo Sue-
 tonius his uerbis: Nouissimo testamento tres insti-
 tuit heredes, sororum nepotes, C. Octauium ex do-
 drante, & L. Pinarium, & Q. Pedium ex qua-
 drante, reliquos in ima cera. [Frater eius] Lu-
 cius fortasse; quem dixi unum fuisse de Cæsaris co-
 heredibus. Adolescentem.] adolescentes inter-
 dum appellabantur annos etiam plures, quàm tri-
 ginta, nati. itaque in epistola ad M. Cælium, Homi-
 nem

nem, inquit, adolescentem non tam allicere uolui, quàm alienare nolui. cum loquatur de C. Cælio: qui iam quæstor fuerat; & quæstura non ante annum xxxi. lege annali gerebatur. etiam in oratione modo adolescentem, modo uirum appellat Iſocratem. et si, uirum, dignitatis causa dictum in eo loco, item ut alibi, possit aliquis existimare. nunc adolescentis nomen de ætate solum usurpatur ea, quæ anno incipit xiii. desinit xx. Aliam in sententiam] cum significes, minime te de suburbano. emendo cogitare. De se] si loqueretur ex Anicij persona, hoc modo; Miratur Anicius, nihil te recordari de se: usitatum esset. nunc, ex persona sua cum dicat; Soleo admirari, nihil te recordari de se: quàm proprie, se, pro eo, positum sit, grammatici uiderint. eiusmodi notauimus exemplum in oratione pro comædo: Societatis, inquit, non suas, lites redemit, cum fundum a Flauio Roscius accepit. quid ita satis non dedit, amplius a se neminem petiturum? non enim dixit, A se, pro, a se ipso, sed pro, ab ipso Flauio; a quo fundum acceperat. Epicharmi] Siculi, poetæ comici: quæ Plautus imitandû sibi proposuisse putabatur: unde Horatiij uersus: Plautus ad exemplum Siculi properare Epicharmi. γῶδι] cognosce, quo modo alio usus est. Prius, quàm credas, aiebat Epicharmus, cognosce quemadmodum is, cui crediturus es, alio sit usus: ut, si se erga alium recte et optima fide gesserit, ei te tuto committas; sin minus, exemplo doctus caueas. ap-
paret

Commentarius in lib. III.

paret Anicium non bona fide fuisse : itaque non facere Quintum satis prudenter, qui eius opera in emendo suburbano cogitaret uti. Sermonem eius.] subaudi, narraſti, cum eſſemus una in Tuſculano eius. Quemadmodum coniiicio,] Imperfecta ſententia : ſed, opinor, hoc ſignificat : Quemadmodum coniiicio, quaſi minime illum noris, ita res illi tuas committis. incipit autem, fraterno amore adductus, hoc dicere : mox, ne fratrem uideatur nimis multis uerbis ut imprudentem monere, extremam ſententiæ partem omittit. Quid uelis] cogites ne de emendo, ut Anicius dicit, an ſecus, ut in tuis ad me litteris ſignificas. Ne quid ille turbet,] ne quid miſceat ; ne ſincera fide non agat ; ne te implicet in eo negotio, ſic, ut expedire te niſi cum damno non queas. Quid præterea? Quid? etiam.] genus in epistoſis, præſertim iſis, quæ ad familiares mittuntur, in extremo uſitatum. uarias enim res cum ſcripſimus, nec iam memoria quidquam ſuppeditat ; quaſi nos hæc per litteras collocutio deleat, ipſi nos interrogamus, num quid præterea ſcribendum ſuperſit? deinde, alterum, Quid, eſt illud quidem ipſum quoque cum interrogatione poſitum : ſed reſponſio tamen ad priorem interrogationem quædam uidetur. nam cum rogauit, quid præterea eſt quod ſcribam? reſpondet, quid ſcribam? quaſi dicat : nunc quidem nihil uideo, quod præterea poſſim ſcribere. mox, inuenta re, ſubiungit : Etiam, etiam, inquit, præter ſuperiora

rora aliquid est . Tale illud ad Atticum. ep. 2. l. 1.
 Noui tibi quidnam scribam? quid? etiam. et ep.
 6. l. 2. Aliud quid? etiam. et ep. 19. l. 2. Quid
 aliud? quid? hoc, opinor. Ad 1 v. Kal. Oct.]
 fuerat igitur ad urbem per septem dies. accessit e-
 nim XII. Kal. Oct. quod supra scriptum est in hac
 ipsa epistola. Noctu] quia conspici puderet. redi-
 bat enim, senatusconsulto de prouincia reuocatus:
 & eum tres factiones, una de maiestate, duæ de re-
 petundis postulabant. turpissimus igitur Gabinius,
 qui noctu introiret; cum ceteri imperatores & in-
 terdiu omnes, & plerique triumphantes. Hora
 octaua,] quæ, quo modo nunc horis diem distin-
 guimus, uigesima fere nobis esset. diem enim sem-
 per ueteres in horas duodecim tribuebant: quæ, pro
 dierum inæqualitate, modo breuiores erant, modo
 longiores. Edicto] edictorum duo genera, unū,
 quod, inito magistratu, publice proponebat prætor
 urbanus, ex quo toto anno ius diceret; alterū, quod
 ad singulas causas pro re nata accommodaretur:
 quale est Alfi prætoris, quo Gabinium maiestatis
 reum adesse ad decimum diem iubet. hoc posterius
 commune est prætori urbano cum reliquis præto-
 ribus, qui de criminibus quærebant: illud prætoris
 urbani proprium. sed hæc libro de iudicijs reserue-
 mus: qui doctrinam, ut speramus, non omnino iu-
 risconsultis inutilem complectetur. Alfi] præto-
 ris, de maiestate quærentis. in epistola, quæ sequi-
 tur proxima, Quæsitur, inquit, grauis, & firmus
 Alfius.

Commentarius in lib. III.

Alfius. Adeste] in iudicio, decimo, ut opinor, post nominis delationem die. nam Pedianus in commentario Cornelianæ, cum de Cornelio, qui et ipse de maiestate accusatus erat, loquitur, his utitur uerbis: Cum L. Cassius prætor decimo die, ut mos est, adesse iussisset. et apud hunc, supra, lib. II. epistola 12. Decimus erat Cælio dies, atque hic decimus Gabinio dies, non dubito, quin fuerit, III. kal. Oct. post eum, quo in urbem introiuit, proximus: quo ipso die Cicero hanc epistolæ partem scripsit. cadit igitur, diebus decem numeratis, nominis delatio in XII. kal. Oct. hoc est in eum ipsum diem, quo ad urbem accessit: ut ei, post aduentum, nihil omnino spatij dederit Lentulus accusator. Aflictus est.] cum iret ad iudicium. Proximus] turpitudine: cum utrumque senatus de prouincia reuocasset, utrique ciuitas, memoria maxime Ciceronis eiectioni, esset infensa. ἐμβόλιον] partem quandam ab argumento proposito seiunctam, interpositionem. Meorum librorum] an de republica, quos in manibus habebat, quosq. & supra suos, in hac ipsa epistola, nominauit? uix opinor: non enim illos in libros, quorum esset ὑπόθεσις omnium grauissima, inducerentur huiusmodi fabulæ. de poemate malim intelligere, non eo, quod ab ipso quaesierat Quintus, (quibus enim libris Quintus pro suis usus esset, de ijs non, opinor, dixisset Marcus, Meorum librorum) sed eo, cuius primum iam librum a Cæsare lectum, & magnopere probatum, dixit

dixit in epistola libri I I. ultima, in extremo. Reditus] ex prouincia, redierat autem Piso anno proximo, Pompeio et Crasso cos. Alter exercitum perdidisset, alter uendidisset] perdidit Piso, uendit Gabinius: ille, cum commisit, ut caderetur: hic, cum Ptolemæum pretio conductus restituit. in oratione de prouincijs consularibus, in Pisonem, in historia. Satis commodas] satis prospera significantes de Britannico bello, satis ex nostra uoluntate. Ad mare] te relicto in interiore Britannia. Gratulandi] quod rem satis feliciter in Britannia gessisset. Luctum] ob interitum filia: qui proprie luctus est.

E P I S T O L A II.

Iisdem consulibus.

A D P O P V L V M] quero, nec tamen inuenio, quo de crimine Gabinijs populus iudicauerit. nam de maiestate, deq. repetundis non populus, sed prætores cum consilio quærebant. nec ullum præterea Gabinio facinus obiectum reperiō. fieri tamen potest, ut Memmius, cum tribunus pl. esset, pro potestate populum coegerit, ut de Gabinio suffragium ferret, uel de maiestate, uel de repetundis: sed, de repetundis, potius crediderim: quo crimine item ad prætorem constitui accusator, Ti. Nerone pari studio contendente, cupiebat.

quod et supra in proxima epistola, et hic proxime

Commentarius in lib. III.

planum sit . quem porro in iudicio populi Gabinius exitum habuerit , quo facilius intelligatur , ipsa Valerij Maximi , quæ sunt in octauo libro , uerba subscribemus . A. Gabinius , in maximo infamiae suæ ardore , suffragijs populi , Memmio accusatore , subiectus , abruptæ esse spei uidebatur : quoniam & accusatio partes suas plene exhibebat ; & defensionis præsidia inualida fide nitebantur ; & qui iudicabant , ira perciti pœnam hominis cupide expetebat . igitur licetor et carcer ante oculos obuersabantur : cum interim omnia ista , propitiæ fortunæ interuentu , depulsa sunt . filius nanque Gabiniij Sisenna , cõsternationis impulsu , ad pedes se Memmij supplex prostrauit , inde aliquod fomentum procellæ petens , unde totus impetus tempestatis eruperat . quem truci uultu a se uictor insolens repulsum , excusso e manu annulo , humi iacere aliquandiu passus est . quod spectaculum fecit , ut Lælius tribunus pl. approbantibus cunctis Gabinium dimitti iuberet . Luculente calefecerat] non frigide accusauerat , sed ita uebementer , ut Gabinius calesceret . tralatio . agitati enim non modo corporis , uerum etiam animi motu , calescimus . sic M. Cælius in epistola : Si Parthi nos nihil calfaciunt . Non licuerit] clamore , conuicioq. populi . Calidio] M. Calidio ; quem fuisse oratorem dulcem potius , quàm uebementem , in libro de claris orat. ostenditur . Catonem] prætorem , de repetundis cognoscentem . ergo , cuius futura de reo quæstio erat , is & de accusatore

tore diligendo ante cognoscebat . Diuinatio] contentio, quis deberet accusare. causam nominis Pedianus exponit, quia nō de factō quæreretur, sed de futuro, quæ est diuinatio, uter deberet accusare .

C. & L. Antonios] tres igitur factiones Gabinium de repetundis postulabant, Memmius, Nero, Antonij : quos in epistola proxima non nominauit : non enim extiterant : itaque ibi, quasi futurum diuinaret, non dixit, Tres factiones Gabinium postulant, sed, Tres adhuc factiones. nā postea quarta factio, Antonij postularunt, deinde & quarta P. Sylla, ut est in epistola ad Att. 16. l. 4. Fratres fuerūt M. Antonij, postea triumviri; filij Marci, eius, qui, gratia Cottæ consulis, & Cethegi factione in senatu, curationem infinitam nactus totius oræ maritimæ, Siciliam et prouincias omnes depopulatus est; ad postremum, inferens Cretensis bellum, morbo interiit. huius igitur filij Caius, & Lucius, nepotes uero Marci, clarissimi oratoris. M. F.] sic antiqui scribebant : non nulli postea sic, M. F. os inde natus error apud antiquitatis imperitos, ut, Meos, non M. F. os legendum putarent, ob similitudinem F. & E. quod ideo dictum a me uolui, quia uideo in aliquos etiam impressos libros hanc mēdam irrepisse. idq. ut monerem, operæ pretiū existinaui. Negotium inuertit] res Gabinij perditas restituit. hoc non sine causa Cicero timebat. opes enim Pompeij maximæ; qui etiam suo studio, ut Gabinus de maiestate absolueretur, obtinuerit. infra, & ad Att.

Commentarius in lib. III.

ep. 16. l. 4. Delectare] odio senatus in Gabiniū,
 amore in me. Subitoq.] cum hoc uerbum Cicero
 posuit, proxima spectauit, quod supra, quod infra;
 supra, quod dixerat, Triumphū se postulare dixisset;
 infra, quod infert, Bonus imperator noctu in urbem
 hostium inuasisset. altero enim Gabiniij leuitas, &
 inconstantia coarguitur; qui, cū de triumpho ubique
 iactitasset, subito, abiecta triumpho postulatione,
 in urbem introisset: altero, eiusdem turpitude, &
 improbitatis conscientia notatur; qui non interdum
 sit ausus introire; eum intelligeret ita se de ciuitate
 ac de republica esse meritum, ut, si luce ingrederetur,
 ab occurrente populo non salutationes honorifi-
 cas, non ullas laudes, sed omnia probra, omnes con-
 tumelias merito posset expectare. Subito autem
 non ita restricte dictum ut subito post aduentū Ga-
 binij ad urbem intelligi debeat: mansit enim ad urbē
 per nouem dies, cum accessisset XII kal. Oct. in-
 troisset IV kal. sed, Subito, prater expectationē:
 cum ex eo rumore, quem ipse passim dissipauerat,
 triumphans potius ingressurus esse uideretur. Bo-
 nus imperator] ex ambiguo ludit, nam periti im-
 peratores plerunque noctu irrumpunt in urbes ho-
 stium. iste uero, nequā imperator, cum se odio esse
 ciuitati sentiret, sic, ut eum hostis loco haberet, no-
 ctu introiuit, conuicia ueritus, et contumelias, si in-
 terdum ingrederetur. Hostium plane] ciues enim
 hostes ei plane sunt. Inuasisset] dicendū erat, In-
 troisset: maluit, Inuasisset; ut in tralatione persiste-
 ret.

ret. noctu enim Gabinius, præter expectationem, bonorum imperatorum exemplo, cum urbes hostiũ inuadunt, introierat. ita tribus uerbis a Ciccone, eleganter sane, & apte de introitu Gabiniũ, comprehensa tralatio est, bis inquam, imperator, hostiũ, inuafisset. Non committebat] ut odiosa de re dixit proprie, committebat. timebat enim senatum: oderat eum, eiq. pariter odio erat, iam inde a consultiu. dixerat enim in concione consul, hoc est is, qui tueri senatus auctoritatem deberet; Errare homines, si senatum aliquid in republica posse arbitrantur. pro Sextio. Ipso] dilulit, quoad potuit: ipso demum die decimo, ultra quem differre non poterat, in senatum uenit. Decimo] ab introitu in urbem. ergo nonis Oet. nam introiuit *IV kal.* Oportebat] iubente lege; aut, more maiorum. Hostium] lege cautum erat, quod Valerius libro *III.* narrat, & Dio libro *XXXVII.* significat, ne quis triumpharet, nisi qui quinque millia hostium una acie cecidisset. hic, non subito, quin aliud agatur. non enim triumphauerat Gabinius, aut, cum in urbem iam esset ingressus, de triumpho poterat cogitare. quare crediderim, non ijs modo, qui triumphassent, aut triumphaturi essent, sed omnibus plane imperatoribus, e prouincia reuersis, usitatum hoc fuisse, ut caesorum non tam hostium, quam militum numerum in senatu exponerent. Bessarionis libes habet, Hostiarum. & in epistola M. Cælij, ubi legitur in impressis, Cum de hostibus ageretur,

Commentarius in lib. III.

in scriptis aliquot uidimus, Hostijs. quo tamen in loco sequi maluimus eos, qui habent, hostibus, addu-
cti Valerij Maximi auctoritate, qui legem illam de
caesorum hostium et militum numero commemorat.
In re hæsit] magis placet, quod alijs item uideo,
Inrepsit: cum eo tamen placet, si ueteres libri con-
sentiant. nam Bessarionis liber, In re hæsit, habet:
quod est, in recitando, implicitus ignoratione rei.
Inrepsit, uero ualet hoc, uenisse Gabinium in sena-
tum & inuitum, & latenter, more animalium re-
pentium. cursu enim uoluntas maior declaratur.
Infrequentia] cum e prouincia reuersos, quo pri-
mum die ad senatum adeunt, propinqui, familia-
res, clientes comitatu maximo soleant honestare.
Exire] hostium et militum numero recitatio: qua-
si, præterea quod ageret in senatu, nihil ei restaret.
A consulibus] Appio, et Domitio: quorum Do-
mitius Pompeij causa, inimicissimi sui, Gabinium
oderat; Appius, quia missum in Syriam legatum,
ut in Dione legimus, recipere noluerat: qui etiam
illum eo die accusauit maiestatis: quod in hac ipsa
scriptum est epistola. Publicani] Syriani, Ga-
binio infensi. questum enim sua damna ad senatum
uenerant: quod, cum Gabinus, finibus prouinciæ
suae contra leges egressus, Alexandriam ad resti-
tuendum Ptolemæum cum exercitu profectus esse;
prædones per eius absentiam maritima Syriæ loca
uastarunt. quo facto, publicanis ea, quæ de publico
redemerant, exigere non licuit. Dio lib. xxxix.

Et cum a me] potest non abundare, etsi uidetur, particula, ET. nam est, cum uulneraretur, & a me maxime. potest etiam abundare: quod eam addiderit imperitus; qui cum uideret, A tuis, (sic enim est in libris aliquot manuscriptis, non, ut postremo impressis, Actus) copulam necessariam dixerit: ut ad uerbum, Vulneraretur, utrunque referretur, hoc modo: Cum a tuis, & a me maxime uulneraretur. Vulneraretur] accusaretur. a uenatione tralatio. fera enim undique acta uulnerantur. ideo intulit, Vulneraretur; cum, Actus, iam dixisset. Non tulit] sustinere tacitus non potuit. sic in III. de orat. Cum homini & uehementi, & diserto, & in primis forti ad resistendum Philippo quasi quasdam uerborum faces admonuisset, non tulit ille, & grauiter exarsit. Tremens] ut hominis ira commoti. Exsulem] quia lege Clodia, ipso consule Gabinio, pulsus, per sexdecim menses urbe caruerat. huiusce nominis contumeliam, etiam a P. Clodio sibi obiectam, diluit ac purgat in paradoxo multis uerbis. Impetu] impetum significauit senatus, cum dixit, Ut ad corpus eius accederet. Publicani.] Gabinio, propter damna & iniurias ab illo acceptas, infensi; Cicero, consulatus beneficio, coniuncti. ut omittam, quod Cicero patre natus erat equite Romano, & publicani omnes equestri ordinis. quo uidebatur quiddam inter eos necessitudinis intercedere. Foris] passim, non solum in senatu, sed apud ceteros etiam. sic locutus

Commentarius in lib. III.

cutus est in epistola longa ad Lentulum: Cum ea contentio mihi magnum etiam foris fructum tulisset. et ad Quintum fratrem: Foris ualde plauditur. In uulgus, alibi dixit, eadem sententia. Clarius] hac, quam senatus dedit, significatione uoluntati er game. Teneo] antique, pro teneo me. Tenuit se Cicero ab accusando Gabinio, quod infra quoque confirmat, in causa maiestatis: de repetundis uero non modo non accusauit, uerum etiam rogatu Pompeij defendit: quod & Dio lib. xxxix. narrat, et ipse in epistola ad Marium, fam. 95: significat. Illud mirari non satis possum, quod ab eodem Dione traditum uideo; Gabinium a Cicerone de maiestate grauissime accusatum. quod aperte falsum ostendit ipse Cicero & hic, & apertius etiam infra in epistola 4. nisi si, ut a teste Cicerone, non ut ab accusatore, Gabinium accusatum intelligas. acerbe enim testimonium in illum dixit: quod infra in ultima scribit epistola: Testis, inquit, uehemens fui, pretere rea quieui. Cum Pompeio] qui Gabinij patrocinium ideo suscipiet, quod ipse Gabinium, ut Ptolemaeum in regnum reduceret, scriptis litteris impulerat. Dio lib. xxxix. Quod instat] in quo uereor ne Pompeij animum offendam. ille enim fauebit Guttæ, ego Miloni, de me optime merito. infra, in ultima epistola. Vel quod iudices nullos] etiam in ad Atticum epistola lib. IIII. causam absoluti Gabinij confert in Pompeij contentionem, iudicum sordes. item hic, infra. Quod autem est

est in impressis libris, Vel quòd; mendosum existimo. nam Bessarionis liber habet, id quòd. unde factum suspicor, uel quòd, eorum temeritate, quorum aures imperite antiquam, non tamen satis usi peruulgatam, loquendi rationem inique ferrent. est enim, id quòd, pro ideo quòd. sic locutus est is, qui mihi est post Ciceronem familiarissimus, Terentius in Heautontimorumenò: Id quòd est consimilis moribus, conuincens facile ex te natum. Et in Hecyra: Illico læta exclamant, Venit, id quòd me repente aspexerant. sic & Liius libro xli. Id quòd erat uetusta coniunctio cum Macedonibus. totum igitur hunc locum ita legerem, ac distinguerem: Teneo ab accusando, nix mehercule, sed tamen teneo, id quòd nolo cum Pompeio pugnare: (satis est, quod instat de Milone) id quòd iudices nullos habemus: ἀπότρυμα formido. quemadmodum enim, ubi est in impressis, Vel quòd iudices, mendosum esse Bessarionis liber ostendit: sic illud, Vel quòd nolo, non sincerum esse, facile possum suspicari: cum eadem utrunque potuerit causa deprauare. ἀπότρυμα] ab solutionem Gabini, propter iudicum sordes, formido. timeo, inquit, ne non assequar, quod uelim, nam ἀποτυχάω, spe frustror, non obtineo. Male uolentiam] in ipsum, an in Gabinium? in ipsum: nam causas colligit, cur ab accusando se teneat. hæ sunt, Pompeius, iudices, hominum maleuolentia. suos enim ipse quoque maleuolos habebat. Aliquid accidat.] contra quàm accideret me non accusan

Commentarius in lib. III.

te . timeo , ne absoluaturnam , qui me oderunt ,
 fortasse illum , me accusante , subleuarent . Nec
 despero] nam , ne sperem omnino , Pompeius , et
 iudicium infirmitas facit . Non nihil per me]
 qui ut non accusem , alijs tamen accusantibus opem
 aliquam sumministrabo . et , Non nihil , ne , si ue-
 hementer , Pompeium a se abalienet : cum quo pu-
 gnare nolebat . Confici] ut iudicio condemnetur .
 A Memmio Domitius] candidatus a candida-
 to . absolutum constat , quia consul fuit anno proxi-
 mo cum Messalla : nec Domitium modo , sed omnes
 plane candidatos . nam in ultima epistola , Messal-
 lam , inquit , iam nostrum , reliquosq. molestia le-
 uatos , uehementer gaudeo . aut igitur is , qui exsu-
 lauit Athenis , ad quem scribuntur a Cicerone epi-
 stole lib. fam. XIII. alius Memmius est ; (memi-
 nimus autem supra quoque de duobus Memmijs ,
 quorum utriusque prænomen fuerit Caio) aut , si hic
 est , postea in alio iudicio condemnatus . A Q.
 Curtio] hunc ignoro prorsus . Magnuli liber , ad
 manuscripti exemplum emendatus , Acutio , men-
 dose ; fortasse tamen cum uestigio ueritatis . Q.
 Pompeio] Rufo , ut ad Atticum ep. 16. l. 4. Syl-
 le dictatoris ex filia nepote , ut apud Pedianum . hic
 biennio post tribunus pl. occiso Clodio , saepe atque a-
 criter in Milonem , ac Ciceronem etiam ipsum concio-
 natus est . Pedianus . exsulem significat Cælius in epi-
 stola I. libri VIII. fam. Triario] adolescente ,
 qui eum paullo ante de repetundis accusauerat . pa-

ratum fuisse ad dicendum, & nota industria, Pedianus tradit. filius fortasse fuit eius, cuius orationem Cicero plenam litteratæ senectutis appellat in Bruto. Aut hominum, aut legum] aut candidatorum, si condemnatur; aut legum, si absolventur. leges enim uidentur interire, cum nocentes absoluantur rei. culpam significat candidatorum, ut supra, cum dixit: Ita erant progressi candidati consulares, ut non esset ferendum. & ad Att. 64: Tres candidati fore rei putabantur. quid poteris, in quies, pro ijs dicere? ne uiuam, si scio. Interitus] calamitas, exsilium. mortis enim supplicium Sempronia lex a ciuibus R. amouebat. sic infra, Periturus reliquis iudicijs, de Gabinio dixit, cum damnationem intelligeret. Ut iudicia ne fiant.] ali quo tribuno pl. intercedente. etiam edicto consulis iudicia sublata animaduerti, ut cum de ui Clodium accusauit Milo, Lentulo et Nepote eos. pro Sextio, Consul, inquit, prætor, tribunus pl. noua noui generis edicta proponunt: ne reus adsit, ne citetur: ne queratur: ne mentionem omnino cuiquam iudicum, aut iudiciorum facere liceat. idemq. ep. 9. l. 1. fam. his uerbis: Cū tribunus pl. pœnas a seditioso ciue per bonos uiros iudicio persequi uellet, exemplum præ clarissimum in posterum uindicandæ seditionis de rep. sustulerunt. confirmat Dio libro, opinor, xxxix. Interregnum] quò deducta est. quod autem hic, Res uidetur spectare ad interregnum, ad Att. ep. 16. l. 4. dixit, Res fuit ad interregnum. Rei nolunt] itaque

Commentarius in lib. III.

itaque obnuntiationibus dies comitorum sustulerunt. quod in epistola proxima ostendetur. & ad Att. ep. 16. l. 4. Nolebant autem ideo haberi comitia candidati consulares, quo plus haberent spatij ad hominum studia colligenda. Maxime Memmius] cuius etiam causa fore putaretur aliquis tribunus pl. qui comitia in aduentum Caesaris detruderet. ad Att. ep. 16. l. 4. Caesaris aduentu] in urbem? minime: quia cum imperio Caesar erat: nemo autem cum imperio urbem introibat, exceptis qui triumphabant: quorum ipso triumpho die fiebat imperium. Ad urbem? ne id quidem: praefectis enim provinciarum egredi provinciae terminis non licebat: et provinciae Galliae, quam Caesar administrabat, Rubico flumen erat finis. Quod igitur? in Galliam Togatam, Caesaris provinciae partem, quae ad suffragia veniebat, non tamen universa, sed coloniae tantum Romanae, et municipia. quod etiam diximus in comment. ep. 1. l. 1. ad Att. his igitur ad comitia venientibus fore sperabat Memmius ut a Caesare commendaretur: simul illud, ut, cum peragendorum conventuum causa Caesar Alpes transisset, de suis militibus Romam mitteret, qui Memmium in petitione consulatus adiuvarent. itaque ad Atticum ep. 17. l. 4. Memmius, inquit, Caesaris commendetur militibus. et hic, in epistola ultima. Iacet] minime futurus consul putatur. infra de eodem, Friget, dixit: supra de Messalla, Flaccet: & ad Atticum de eodem ep. 15. l. 4. Languet. haec ad copiam Latinae linguae. Vide batur]

batur] & fuit, plebeius cum patricio. populum enim liberalitate delinuerunt. ad Att. ep. 16. l. 4. Messalla noster, inquit, & eius competitor Domitius liberalis in populo valde fuit, nihil gratius. certi erant consules. Refrlexerat] desertius a Pompeio. nam in postrema epistola, Scaurum, inquit, iam pridem Pompeius abiecit. de quo etiam suspicio quaedam fuerat. nota enim erat Pompeij simulatio. itaque ad Att. ep. 15. l. 4. Pompeius Scauro studet, sed, utrum fronte, an mente, dubitatur. Refrlexerat: deserat consul putari. amisso enim Pompeij studio, simul opinionem consulatus amiserat. Sine lege curiata] Aliquem, opinor, tribunum pl. cum ferretur [curiata lex, timebat intercessorem. ideo etiam cum C. Memmio & Cn. Domitio Calpurnio turpissima pactione coijt, de qua ad Atticum l. 4. ep. 18. ut ambo HS cccc consulibus darent, si essent ipsi consules facti, nisi tres augures dedissent, qui se affuisse dicerent, cum lex curiata ferretur, quæ lata non esset. quo patet summa in Appio provincie cupiditas. Imperium dabat populus lege curiata, senatus lege Cornelia. qui lege curiata, sumptu publico, qui Cornelia, suo ibant in provinciam. ideo in epistola ad Atticum 16. l. 15. Appius, inquit, sine lege, suo sumptu in Ciliciam cogitat. & fam. ep. 9. lib. 1. Lentulo nostro] Spintheri, Ciliciam administranti, qui Ciceronem consul ab exilio restituerat. Illo die] de quo dixit iam, Ipso decimo die: cum Gabinus in senatu actus & nexatus

Commentarius in lib. III.

tus undique est. Accusavit] non ad prætorem in foro, sed in senatu. Data] prolata, eorum qui participes aut conscij fuerant maiestatis imminuta: quibus testibus conuinci Gabinius posset. Ipsa domus] quod scilicet reliquum erat, expolitio. iam enim edificatam magna ex parte crediderim; cum in proxima superiore epistola dixerit, Urbanam expolitionem urget Philotimus. & in ea, quæ sequitur proxima, Expolitiones utriusque nostrum sunt in manibus. Nec unius Quincti, sed utriusque domum intelligo, cum sequatur, A redemptoribus. suum enim uterque redemptorem habebat. itaque epistola IV. lib. II. Redemptori, inquit, tuo diuidium pecuniæ curavi. quo item in loco de utriusque coniuncta domo cognoscitur. ergo cum dixit, Domi recte, de utriusque pariter domesticis rebus intellexit. Tractatur non indiligenter] satis curatur strenue, urgentibus Philotimo et Cincio, ipso etiam Cicerone crebro interuisete. supra in epist. proxima. Et quod hic μεταφορικῶς dixit, Tractatur; in proxima epist. eadem translatione usus, In manibus sunt.]

EPISTOLA III.

Isdem consulibus.

QUID QUID conficio, aut cogito,] quidquid scribo, quidquid, quod de inde scribatur, cogito. Negotia nostra] quæ ad me pertinent, ea quo modo se habeant, ostendi,

stendi, cum dixi: Diem scito esse nullum &c. Ex-
 politiones] ædium nostrarum. epistola 1. huius
 libri. Sunt in manibus,] tractantur, curan-
 tur. epistola, quæ antecedit, proxima, in extre-
 mo. Iam res rustica] siue sic, ut est in manuscri-
 pto Bessarionis libro, legas; siue, ut in impressis om-
 nibus, præter hunc nostrum postremo editum, Iam
 res est rustica; utroque, modo, subesse mendum,
 intelligetur. mihi Bessarionis librum, cuius habeo id
 satis perspectam bonitatem, sequi placuit: ad eūq.
 uolo, quasi minus remotum a ueritate, meam cor-
 rectionem accommodare. opinor enim, nec fortasse
 non recte, legendum sic: Iam, res rusticas: ut Ru-
 sticas, dictum accusandi casu, uerbum, Perscribe-
 rem, infra positum spectet. nam & in ea ipsa, quæ
 significat, epistola, cum de Arcano & Laterio ple-
 ne scripsisset, conclusit eam partem his uerbis: Ha-
 bes fere de rebus rusticis. deinde subiunxit de urba-
 narum]ædium expolitione. Arcani, & Laterii]
 dixi iam, loca fuisse in Arpinati, quæ Quintus pos-
 sidebat. quid aliud? etiam. nam mihi sæpe, quæ dif-
 ficultatis habere nihil uidentur, in ijs mea scrupu-
 lum iniecit cogitatio. Hic sine dubio quasi retractat
 Cicero breuiter ea, quæ scripsit multis uerbis in epi-
 stola 1. huius libri. dubitare igitur aliquis iure pos-
 sit, cur hic Arcanum & Laterium modo nominet,
 cum in ea epistola de Manliano præterea, de Fusi-
 diano, deq. Bouiliano fundis mentionem fecerit.
 Ad hanc dubitationem id, de quo quidem mihi du-
 bitatio

Commentarius in lib. III.

*bitatio nulla est, respondebo: Manlianum, Fusidia-
 num, Bouilianum, non ab Arcano loca separata,
 sed ipsius Arcani partes fuisse: ut Arcanum loci ge-
 nerale nomen esset, quo multi fundi continerentur.*
*Præterea] ergo, cum dixit, Res rustica, Arca-
 ni, & Laterij, non de tota rustica re, sed de illis
 tantum intellexit; cum adiungat, De aqua, de uia.*
*Enucleate] diligenter, & plane. hoc enim uoca-
 bulum Nonius exponit, purgate, exquisite, sine
 asperitate, aut durtia. ductum a nucleis nucum.*
*Ex istis locis] ex Britannia. Mare istuc, &
 terra] maritimæ tempestates, terrestres pugne.*
Tolluntur] sublato ad usque pridie κ al. Oct.
*constat ex epistola ad Atticum 26. lib. 4. Ob-
 nuntiationibus] per Q. Mucium Scauolam tri-
 butum pl. interpositis, opera candidatorum consu-
 larium; qui produci comitia uolebant, quo possent,
 nummis interea distributis, populi uoluntatem sibi
 adiungere. significauit iam hoc in epistola proxima,
 dixit ad Atticum ep. 16. l. 4. Obnuntiare quid sit,
 notum satis est. Bonorum] qui comitia haberi
 eo anno a consulibus uolebant, ne præmia conseque-
 rentur pacta a Memmio & Caluino, consularibus
 candidatis. Suspicionem] non dum enim pactio-
 nem illam Memmius in senatu recitauerat. ad Att.
 ep. 18. l. 4. Præmiorum] HS quadrigena, hoc
 est sentatos aureos duodecim millia. ep. ult. lib. IV.
 ad Att. Quattuor] manifestum est significari
 duos patricos, Messallam, & Scaurum; duos ple-
 beios,*

beios, Caluinum, & Memmium. Rei] de ambitu
 postulati. epistola quæ huic antecedit. Difficiles]
 quæ non facile defendi possint. quorum enim ita pro
 gressa licentia est, ut nummos contra leges, palam,
 tributim, uno loco diuiserint, pro ijs quid est quod
 quisquam possit dicere? ad Att. ep. 16. et 17. l. 4.
 Enitemur,] studio, et precibus, non patrocínio. nõ
 enim puto defensum a Cicerone Messallam. nam et si
 in epistola ad Att. 16. l. 4. cum dixit, Quid poteris,
 inquires, pro ijs dicere? ne uiuam, si scio: fore, uide
 tur significare, ut eorum causas suscipiat: tamen, id
 ut existimem non esse factum, adducor ijs uerbis,
 quæ sunt infra in ultima epistola: Messallam iam no
 strum, reliquosq. molestia leuatos, uehementer gau
 deo. non enim de suo patrocínio tacuisset. Cum re
 liquorum salute] Messallæ enim absolutio reli
 quorum candidatorum causas præiudicio subleua
 bit. Ergo Messallæ iudicium uidet Cicero primo loco
 factum iri, deinde reliquorum. P. Sylla] is, qui de
 ambitu, accusante L. Torquato competitore, damna
 tus est, postea de ui a Cicerone defensus: quæ extat
 oratio. dextrum in exercitu Cæsaris cornu rexit in
 acie Pharsalica. ipsi enim Cæsari, de se ipso scriben
 ti, fidem habeo potius, quàm Plutarcho, qui dextro
 cornu Cæsarem, sinistro Antoniũ præfuisse tradit,
 de P. Sylla uerbum facit nullum. hunc opinor signifi
 cari in epistola ad Dolabellam, fam. lib. 9. et in dua
 bus epistolis, Ciceronis, et Cassii fam. lib. 12. & de
 off. l. 2. Sed inquirō ipse in me, ne quid in historia pec
 cem,



Commentarius in lib. III.

cem, nominum similitudine deceptus. quam esse lubricam admodum rationem, ideoque labi in ea permultos animaduerto. Nam cum statuissem iam, ut omnino nihil dubitans, hunc esse P. Syllam, qui consul cum P. Autronio Peto designatus est, de ambituque L. Torquato accusante damnatus: orta mihi suspicio est, cum hic Sylla Gabinium Romae reum faciat, non esse eum, qui iudicio de ambitu conuictus est. nam de ambitu damnatos exsilio pena sequebatur. quod in oratione pro Plancio declaratur his uerbis: Nunc postulatur a uobis, ut eius exsilio, qui creatus sit, iudicium populi reprehendatis. idque in eadem infra confirmatur: Agitur, inquit, Plancij salus, patria, fortunæ. Sane mihi hæc aliquandiu molesta dubitatio fuit. postea quasi nodum soluit observatio. reperi enim in oratione pro Sylla id ipsum, quod quia suspicatus iam eram, attenta lectione quærebam; hoc uidelicet: quo anno Sylla est damnatus, non dum ambitus penam exsilium fuisse. sic enim in ea de Sylla, ambitus antea condemnato, Cicero loquitur: Absuit ab oculis uestris, et, cum lege retineretur, ipse se exsilio pene multauit. Ergo, quo anno habita est oratio pro Plancio, exsulabant de ambitu damnati; quo dannatus est Sylla, non exsulabant. Placuit etiam quærere, quo anno lex, quæ exsilium irrogabat, lata sit. comperi. lata est ab ipso Cicerone consule, triennio post Syllam damnatum. docet hoc duobus in locis oratio pro Murena. hoc amplius ex Dione cognoscitur, exsilium illud per decem annos fuisse. Fratre]

uterino, cum sit Cæciliæ gentis: nam Sylla Cornelius. Sylla filio] quem in ea, quam nominavi proxime, Cassius epistola significat, cum ait: Sectorem Cæsar non desiderabit, cum filium uiderit. Contradixit] in diuinationis iudicio: accusator enim, Sylla reiecto, deligi uolebat. ad Att. ep. 16. l. 4. Gabiniû, inquit, P. Sylla, non dubitans quin foris esset, postulat, contradicente, & nihil obtinente Torquato. Torquatus] is, qui hunc Syllam de ui accusauit, filius eius, qui eundem de ambitu accusauerat, et damnauerat: ut æternas cum P. Sylla gerere inimicitias uiderentur. Libentibus] nimium enim infesti Syllæ Torquati uidebantur. damnauerant ambitus: consulatum eripuerant: de ui accusauerant: an etiam alterius accusandi locum, ipso repulso, obtinerent? nimia hæc quidem arrogantia. itaque propensiores in Syllam homines, quam in Torquatû, qui uetere inimici calamitate contentus non esset. Omnium generum] ut uniuersus pæne populus ad iudicium concurreret; parumq. abfuerit, quin eum discerneret. Dio lib. xxxix. Cæditur] accusatur, affligitur. ductum a pugnantibus. Accusatoribus] L. Lentulum, eiusq. subscriptores intelligit. epistola proxima, et ad Att. ep. 16. l. 4. Consilium uarium] iudices non omnes boni, non omnes improbi. Quæsitore] qui de maiestate quærebat, qui quæstioni præerat, prætor Alfius. quæsitore est quicumque de aliquo quærit crimine etiam si prætor nõ sit. itaque C. Iunium, qui de Oppianici beneficio, accu-

Commentarius in lib. III.

sante Cluentio, quæsierat, Pedianus quæsitorem ap-
 pellant: cum tamen is prætor non esset, ut pro Cluen-
 tio declarat oratio. prætor igitur omnis quæsitore est,
 præter urbanum, qui nunquam quærit, sed tantum-
 ius dicit: quæsitore autem non omnis est prætor. quod
 in libro de legibus Romanis demonstratum est. Gra-
 uis & firmus] quem nihil moueat, nihil fleat.
 Locum tamen] etiam si de maiestate absoluat; fore
 tamen uideo, ut aut de repetundis, aut de ambi-
 tudamnetur. itaque omnino locum in ciuitate non
 habebit: ibit in exilium. Moderatum] non nimis
 cupidum. testis enim fuit, præterea quieuit. episto-
 la ultima. Lenissimum] quod euenerit, æquo ani-
 mo ferat. Δεικνότερον,] subtilius, philosophicis quæ-
 stionibus magis refertum. Declamatorio] in quo
 illum rhetor Pæonius exercet: quod potius in qua-
 dam uerborum copia, quàm in sententiarum acumi-
 ne, consistit. Merces] amoris augendi erga me tui.
 epistola huius libri prima. Spe] tui ditandi, uel ex
 præda bellica, uel e Casaris liberalitate.

EPISTOLA IV.

Iisdem consulibus.

ABSOLUTVS] de maiestate. Sordi-
 dius] improbius. sic ad Att. ep. 16. l.
 4. de iisdem, Iudicium sordes, dixit. Di-
 ctaturæ] quam Pompeio delatum iri, omnes uide-
 bant, principi ciuitatis. hic igitur indices timor com-
 mouit.

mouit. quod in ad Atticum epistola confirmatur his
 uerbis : Est non nullus odor dictaturæ, sermo quidē
 multus, qui etiam Gabinium apud timidos iudices
 adiuuit. XXXII.] in antiquis libris, XXII. ego,
 XXXII. ex epistola ad Atticum 16. l. 4. LXX.]
 in oratione in Pisonem LXXV. commemorat. Re
 liquis iudiciis] de repetundis, de ambitu. supra.
 Periturus] quod euenit. damnatum enim Dio scri
 bit lib. XXXIX. Sederunt] de iudicibus proprie.
 passim exempla in Ciceronis orationibus. Et, iudi
 casse prætorios, ne miremur : cum uniuersa iudicū
 sortitio de tribus ordinibus a quæstoribus urbanis fie
 ret, altera deinde sortitio a singulis prætoribus. ita
 non modo prætorij, uerum etiam cōsulares interdū,
 una cum ijs, qui nullos gesserant magistratus, iudica
 bant. Aperte] ergo prætorius homo et improbus,
 qui Gabinium, manifestæ culpæ reum, absolueret ;
 et impudenter improbus, qui sic absolueret, ut om
 nes uiderent : cum ceteri sententias recte ferrent. ex
 quo, quæ tum fuerit forma reipublicæ, quàm iniqui
 nata uitjs, quàm non similis antiquæ, licet existima
 re : cum Caluinus, qui cum consulibus turpissima pa
 ctione coierat, quam C. Memmius, eiusdem pactio
 nis particeps, in senatu recitauit ; qui Gabinium, cui
 ius crimina luce clarius patebāt, aperte absoluerat ;
 consul tamen fuerit anno sequenti. Cato] non is,
 qui postea Uticensis dictus est. erat enim hoc anno
 prætor, ut in prima huius libri epistola demonstra
 tum est. prætores autem in aliorum prætorum con
 silio

Commentarius in lib. III.

*filio iudices sedisse, non est ut credi possit. Accedit illa ratio, quod, uir omnium optimus, et constantissimus cum esset, nunquam, adulandi gratia, Gabinium absolutum primus Pompeio nuntiasset. est igitur alius Cato, uel Porcius, uel Hostilius; qui sua sententia Gabinium uidetur absoluisse. de C. Catone, qui tribunus pl. fuit Marcellino et Philippo cos. non licet intelligi. non enim uno tantum anno post tribu-
 natum gerere praturam potuit. Diruptis] malim, diremptis, pro, discretis, dinumeratis: ut, quae absoluis-
 sent, quae damnassent, cognosceretur. non enim discessit Cato, nisi postea quam, tabellis dinumeratis, Gabinium uidit absolutum. eademque coniectura ductus, legendum crediderim in oratione pro Plan-
 cio diremptio, non direptio. sic Lucanus lib. v. Et non admissa dirimit suffragia plebis. sic apud Var-
 ronem l. 3. de re rustica: dum dirimuntur suffragia, uilla publicae utamur umbra. Circulo] ubi iudices circa praetoris tribunal sedentes, sententias tulerant. Pompeio] extra urbem. nam erat cum imperio. id confirmant illa, quae paullo post sequuntur, uerba: In urbem introisset. et Dio lib. xxxix. non affuisse Pompeium tradit: cum enim ad hoc iudicium uenire uoluisset, paulloque tardior fuisset, ad urbem iudicij exitum exspectasse. Nuntiauit] cupiens cupienti. Committerem?] causam. Quid essem,] quam apud homines turpis? Elapsus?] non hic tantum, sed alibi saepe hoc uerbum pro, absolutus, usurpatum. De sua dignitate] quasi ego uellem*

uellem experiri, uter plus ualeret, ipse ad absolutio-
nem, ego ad condemnationem Gabinij. Introisset]
quod, me accusante, plus impendere periculi Gabi-
nio uideret, quam accusante L. Lentulo. nunc enim
in urbem non introiuit: me accusante introisset, sicuti
ante introierat, ut laudaret P. Sextium. cuius rei
mentio fit epist. fam. 11. impetrabant hoc, opinor,
a senatu, qui erant ad urbem cum imperio. Cum
Aesernino] insigne par gladiatorum inductum ui-
deretur, ut Pacideianus, cum Aesernino pugnaturus:
de quibus Lucilius poeta, uide libellum de optimo
genere oratorum. Auriculam] quod inter
pugnantes, ubi ad complexum uentum est, quando
que contigit. non discedit a similitudine gladiatorum.
Clodio] inimico suo, ut constat ex ep. 111. l. 11.
Meum consilium] quod Gabinium eam ob causam
maxime non accusauerim, ne Pompeium offenderem.
Singularibus] cum et praetor Maniliam
rogationem, de committenda Pompeio belli Mithridatici
cura, luculenta, quae extat, oratione suaserit:
et consul, Mithridatico bello confecto, supplicationem
ei dierum duodecim decreuerit. ep. fam. 12. et
in oratione de prouincijs. Dissidentem] cum
Cicero pro republica loqueretur, contra, Pompeius,
Caesar, Crassus ad suam potentiam omnia referrent.
Non tulit] offensus enim ob eam causam, eijci-
me, contra quam promiserat, in exilium a Clodio
passus est. Non dicam grauius] Non dicam,
quod uere possem, prodidit. eius enim in me perfidia

Commentarius in lib. III.

uellem. Pontinio] C. Pontinio, de Allobrogibus triumphaturo. praturam gessit Cicerone consule. eiusdem in Cilicia legatus fuit. III. Non.] in ad Atticum epistola 16. l. 4. est, IIII. Non. Seruius] Isaurici filius. Secum habebit] uide nostrum commentarium. quo in loco illud exposuimus, Erit cum Pontinio Appius consul, ep. 16. l. 4. ἀπὸ πνέων] Martem spirans. dictum de ijs, qui terribile quiddam uultu præferunt. sic in ad Atticum ep. XI. l. 15. Hoc loco, fortibus sane oculis, Cassius, (Martem spirare dices) se in Siciliam non iturum. ἀπὸ βλέπων, dixit Aristophanes. Scæuola] tribunus pl. ad Atticum ep. 16. l. 4.

E P I S T O L A V.

Iisdem consulibus.

E I L L I S libris] de republica. libro D I I. epistola, Duas. Nouendialibus] nouem dierum, ut proxime patebit. Africani] minoris, ut ex Macrobio colligitur. Lælii] duo C. Lælij fuere, alter maioris Africani, alter minoris amicissimus, hic cum Q. Seruilio Capione, ille cum L. Cornelio Asiatico consul. nunc de posteriore fit mentio. Philii] P. Furij Philii, qui consul fuit cum Sex. Atilio Serano. Manilij] M. Manilij, qui cum L. Marcio Censorino consul fuit. Tuberonis,] Q. Aelij Tuberonis; qui minoris Africani sorore, L. Aemilij Paulli filia, natus est. in oratione

ne pro Murena, & alibi. Fannii, & Scauolæ] quos in libro de amicitia cum socero colloquentes facit. Rutilium hic non nominat; de quo mentionem facit ad Atticum ep. 16. l. 4. Nouem dies] feriarum. ideo nouendiales dicti. Libros] quos tamen in sex postea contulit. Sallustio] de quo in epistola proxima superiore. Si ipse loquerer] ut Aristoteles in politicis, omisso dialogo. Heraclides Ponticus] mollis philosophus, ut pro, Ponticus, Pompeius uocaretur. Laertius. Consularis] quem oratio de statu ciuitatis optimo, deq. optimo item ciue decere uideretur. dignitas enim personæ pondus affert orationi. Nostris libris] tribus de oratore. Belle] cum caussa: ne uiderer mihi perfectam dicendi rationem arrogare. Vidissem] uidit enim Cicero, ac sæpe dicentes audiuit, Crassum, Antonium, Scauolam, Catulum, Cæsarem, Cottam, Sulpicium; quibus tribuit sermonem de ratione dicendi: at uero Africanum, Lælium, Philum, Manilium, Tiberonem non uidit: unum Scauolam puer cognouit: ut est in libro de amicitia. De rep. & præstante uiro] scribit enim in suis, qui extant, politicis libris Aristoteles et de optima rep. et de optimo ciue. quales erant, qui perierunt, et Ciceronis libri. itaque dixit proxime, De optimo statu ciuitatis, et de optimo ciue. Commouit me] suum tamen institutum Cicero persecutus est. loquitur enim in somnio Scipionis Scipio ipse, Lælio respondens, querenti nullas Nasicæ, qui Ti. Gracchum, perniciose de re publica

Commentarius in lib. III.

leuiter notatam uolo. Minus potens] nam postea, discessu Caesaris, et Crassi, potentia Pompeij ad summum peruenit. Alterutrum] si Pompeij causa, Sallustius aiebat, Gabinium accusare noluisi: at eiusdem causa defendisses. Defendisses] elegans et antiqua locutio, pro eo, quod uulgo dicunt, defendere debebas. sic lib. 3. in Verrem. Voconia lex te uidelicet delectabat: imitatus esses illum ipsum C. Voconium. et de off. III. Male Curio, cum causam transpadanorum aquam esse dicebat; semper autem addebat, Vincat utilitas. potius diceret; non esse equam, quia non esset utilis reipublicae, quam, cum equam esse diceret, non esse utilem fateretur. Contendenti] uehementer oranti: ut se ipse proxime sequentibus uerbis exponit. Inimicitias] cum Pompeio, si Gabinium accusarem. Infamiam] si defenderem. Hac mediocritate] cum neque accusaerim, neque defenderim, sed mediam quasi uiam tenuerim, citra periculum, et infamiam. Infra, in ultima epistola, Illum, inquit, neque urfi, neque leuani: testis uehemens fui: praeterea quieui. Grauis fime] uehementer. nam infra, Testis, inquit, uehemens fui. In ciuitate] si absolutus esset. damnati enim de maiestate exulabant. Satisfacturum] gratiam relaturum; quod eum non accusassem, testimonio contentus. Neque me interrogauit] hoc faciebant rei, quo testes in mendacio deprehenderet. sic apud Pedianum, interrogatos a reo Milone testes, quos accusator produxerat, legimus. fuit igitur honorificum

norificum Ciceroni, a reo nihil interrogari: quasi nihil, nisi secundum fidem et religionem, dixisset. Com
mutandis] quia uel mendose, uel non belle scripti.
Tibi scribi] quibus uteris, ut tuis. supra in episto
la ultima libri I I. in extremo, et prima libri I I I.
Opera] operam in hac re ponere non possum. ἐνθροισία
quod] furor ille, qui poetis diuinitus inspiratur. quod
in epistola sequenti dixit, Non satis commoueor ani
mo ad ea, quæ uis, cauenda. Sine cura] timebat
omnino, ne prætor esset anno sequenti P. Clodius. id
enim erat ei legitimus annus, cum ædilis fuisset Mar
cellino et Philippo cos. Chrysippo] et hic, & Ty
rannio serui erant litterati, Tyrannio etiam Quinti
filij magister. supra, et ad Atticum. Fisco] ærario.
hac de re in extrema epistola sequenti his uerbis: Ab
ærario puto confectum esse, dum absum. quærere
præterea, quid plane rei sit, inepti hominis esset, ue
req., quod aiunt, nodum in syrpo quærentis. De A
scanione] seruo fortasse manumittendo. quod Cice
ro non uidetur probare, sicuti nec de Statio proba
uerat. De suburbano] emendo. de quo scripserat
Quintus ad Anitium. epistola huius lib. I. VIII
kal. Nou.] forte, VI. nam in uetere Romano ka
lendario primum uideo ludorum Victoriæ diæ VI.
kal. Nou. Committebantur] committi ludos,
pro incipi, ignorat, opinor, nemo. Quam uellem]
non placet hæc loquendi ratio, Non longius, quam
uellem. perpendatur sententia: inesse quiddam, quod
teretes aures offendat, sentietur. forte abūdat, Quam
uellem.



Commentarius in lib. III.

uellem. Pontinio] C. Pontinio, de Allobrogibus triumphaturo. præturam gessit Cicerone consule. eiusdem in Cilicia legatus fuit. III. Non.] in ad Atticum epistola 16. l. 4. est, IIII. Non. Serui Ius] Isaurici filius. Secum habebit] uide nostrum commentarium. quo in loco illud exposuimus, Erit cum Pontinio Appius consul, ep. 16. l. 4. ἄρον πρῆτον] Martem spirans. dictum de ijs, qui terribile quiddam uultu præferunt. sic in ad Atticum ep. XI. l. 15. Hoc loco, fortibus sane oculis, Cassius, (Martem spirare dices) se in Siciliam non iturum. ἄρον βλέπων, dixit Aristophanes. Scæuola] tribunus pl. ad Atticum ep. 16. l. 4.

EPISTOLA V.

Iisdem consulibus.

E ILLIS libris] de republica. libro
 D II. epistola, Duas. Nouendialibus] no-
 uem dierum, ut proxime patebit. Africa
 ni] minoris, ut ex Macrobio colligitur. Lælii] duo
 C. Lælij fuere, alter maioris Africani, alter mino-
 ris amicissimus, hic cum Q. Seruilio Cæpione, ille
 cum L. Cornelio Asiatico consul. nunc de postero-
 re fit mentio. Phili] P. Furij Phili, qui consul fuit
 cum Sex. Atilio Serano. Manilii] M'. Manilij,
 qui cum L. Marcio Censorino consul fuit. Tubero
 nis,] Q. Aelij Tuberonis; qui minoris Africani
 sorore, L. Aemilij Pauli filia, natus est. in oratio-
 ne

ne pro Murena, & alibi. Fannii, & Scauolæ] quos in libro de amicitia cum socero colloquentes facit. Rutilium hic non nominat; de quo mentionem facit ad Atticum ep. 16. l. 4. Nouem dies] feriarum. ideo nouendiales dicti. Libros] quos tamen in sex postea contulit. Sallustio] de quo in epistola proxima superiore. Si ipse loquerer] ut Aristoteles in politicis, omissio dialogo. Heraclides Ponticus] mollis philosophus, ut pro, Ponticus, Pompeius uocaretur. Laertius. Consularis] quem oratio de statu ciuitatis optimo, deq. optimo item ciue decere uideretur. dignitas enim personæ pondus affert orationi. Nostris libris] tribus de oratore. Belle] cum caussa: ne uiderer mihi perfectam dicendi rationem arrogare. Vidissem] uidit enim Cicero, ac sæpe dicentes audiuit, Crassum, Antonium, Scauolam, Catulum, Cæsarem, Cottam, Sulpicium; quibus tribuit sermonem de ratione dicendi: at uero Africanum, Lælium, Philum, Manilium, Tuberonem non uidit: unum Scauolam puer cognouit: ut est in libro de amicitia. De rep. & præstante uiro] scribit enim in suis, qui extant, politicis libris Aristoteles et de optima rep. et de optimo ciue. quales erant, qui perierunt, et Ciceronis libri. itaque dixit proxime, De optimo statu ciuitatis, et de optimo ciue. Commouit me] suum tamen institutum Cicero persecutus est. loquitur enim in somnio Scipionis Scipio ipse, Lælio respondens, querenti nullas Nasica, qui Ti. Gracchum, perniciose de re publica

publica cogitantem, occiderat, statuas in publico locatas. Offenderem quempiam] cum attingerem maximos motus nostræ civitatis. Id vitabone quempiam offendam. Loquar ipse tecum] te et me de rep. loquentes inducam. quod tamen, ut proxime ostendi, non fecit. Quæ institueram] duos libros, quos iam nominavit. Romam] scripsit igitur epistolam in aliqua uillarum suarum. Stomacho] quod ingenij sui quasi partem non libenter imperfectum abieceret. Relictos] omisos; cum me Sallustij sermo comouisset. In ea ambitione] nullam enim ex ijs rebus, unde parantur honores, pretermitto: cum de honoribus tamen ipsis, quos mihi Cæsar promittit, non laborem. epistola huius libri ante ultimam. Versibus] quos edas pro tuis. epistola, quæ antecedit proxima. Commoueor animo] ubest ἐνθουσιασμός. sic. n. dixit in proxima. Canenda.] aptius, quam scribenda: quod poetarum, qui animo commoueantur, quibus scilicet ἐνθουσιασμός ille adsit, canere proprium est. ὑποθέσεις] poematis argumentum: res, de quibus scribatur. Ea] hoc non ad ὑπόθεσιν, sed ad uersuum elegantiam spectat. quod indicant proxima uerba: Tu, qui omnes etc. Ipse ego] cum mea causa conor: nedum consequi pro te possim. Ne cogitando quidem] tu autem ita hæc a me petis, quasi uel sine cogitatione possim præstare. Isto] uersibus faciendis. Animi alacritate] tria iam, quæ ad poema requirantur, attigit, ἐνθουσιασμόν, otium, animi alacritatem. Tempora]

pora] quia uideo, nullam esse remp. nulla iudicia. Auctoritate] ob magistratus administratos, maximasq. res pro republica gestas. Senatoria] æquum enim erat, ut homo hoc ætatis, ijs honoribus, ijs rebus gestis, ea tantum, que in senatu grauiter agenda sunt, curarem. Forensi labore] agendis in foro caussis. Iactari] quod eum, qui summos honores gesserit, summa in remp. merita contulerit, decere non admodum uidetur. iactari, enim grauitatem non habet. Domesticis] quibus domi operã do. Sustentari] malis reip. tractum. hoc enim eò uerbũ spectat. αἰὲν ἀριστέειν] uersus Homericus in Iliadis Z, a Glaucò pronuntiat. sed integra duobus uersibus sententia comprehenditur.

», πέμπει δὲ μῆς τροίην, καὶ μοι μάλα πόλλ' ἐπέτελλεν,
», αἰὲν ἀριστέειν, καὶ ὑπεύροχον ἔμμεναι ἄλλων.
misit autem me ad Troiam, et mihi ualde multa mandauit, semper strenue fortiterq. agere, et alijs præstare. Totum occidisse] nullo prorsus modo fieri. cur? quia, cum inimicos suos partim non oppugnarit, ut Gabinium Pompeij causa, partim etiam defenderit, ut Vatinius propter Cæsarem; quod utrunque in his epistolis iam demonstratum est; nimirum plane illud amisit, αἰὲν ἀριστέειν. Non modo animum,] non modo, inquit, libere sentire non possum, sed nec odisse quos debeo; ne scilicet eorum qui nunc principes in rep. sunt, animos offendam. Qui uellet] quasi unus Cæsar non alicuius commodi spe, sed uere, atque ex animo, planeq. sua sponte



Commentarius in lib. III.

amaret; alij simulate, et astute. quod de Pompeio creditum est: (ideo dixit, sicut alij putant) qui Ciceronem, quem, contra datam fidem, pelli passus erat, ideo reuocauit ab exsilio, ut eius opera cum senatu rediret in gratiam. Plutarchus. Multa consolatione] domesticis litteris. quod proxime dixit. et hic, eodem spectans, intulit, Quotidie. quotidiana enim tractatio litterarum. Pansa] C. Vibius Pansa, qui consul cum Hirtio fuit, anno post Cæsaris necem proximo. is, opinor, in exercitu Cæsaris cum Quinto locutus erat de Gabinio defendendo. scripsit Quintus: respondet Marcus; et ratione affert, cur eum non defenderit. Concidissem] collectam multis præclare factis gratiam bonorum, hac una re profudissem, ac perdidissem. Toti ordines] non modo omnes ordines, (hi tres erant, senatorius, equester, plebeius) sed omnium ordinum omnes homines. Propter quem oderunt,] me quoque ipsum, propter quem Gabinium oderunt, odisse cœpissent: qui me simul cum rep. crudelissime ab illo consule uexatum recordantur. Tenui me] progressus neque in hanc partem sum, neque in illa: non accusaui, non defendi. Viderent] dixi in illum, quæ nota erant: præterea quæ ueni. In omni summa] quidquid ago, otium meum specto: inimicitias contentionesq. fugio. De libris] de bibliotheca græca supplenda, libris commutandis, latinis comparandis. supra. In summo studio] quod ipse in curanda mihi bibliotheca pono. Crebrius] malo sic,

sic, quàm, ut in impressis libris, Cerbrius : primum, quia Bessarionis librum, quem sequar, habeo : deinde, quia conuenit a creber ita deductum Crebrius, ut a ruber Rubrius. Qui omnia adiurant] qui cogunt sibi credi, iureiurando ad asseuerationem adiuncto. Renuntiant] mihi, dum in uillis meis sum. nam infert, dum absum. forte a Quinto Crebrius hic beneficia acceperat in Gallia. mouet enim me illud, Romæ est. Ab ærario] quod supra dixit in proxima, De fisco quid egerit Scipio.

EPISTOLA VI.

Iisdem consulibus.

A BALIO] a me scilicet : quem de uersibus tibi scribendis sæpe rogas. supra quatuor in locis. κλέος quæris?] laudem aliunde quæris; cum in te ipso sit, unde illâ pares? Ictas] Electram, et Troadem. Erigonam] quam, a Quinto ante missam, quod ex huius libri epistola I. liquet, tabellarius amiserat : quod epistola ultima declarat. Proximas] hanc breuem, et proximam superiorem, utranque in eundem fasciculum coniectas. nam cum illam scripsisset, atque obsignasset; alteram hanc, litteris a Quinto acceptis, illico scripsit, breuiorem omnino, quàm ut uideri possit ad fratrem trans alpes usque missa : uerum, si, cum proxima simul missâ, intelligamus, tollitur admiratio. Aut dicamus epistolam falso putari : particulam enim

Commentarius in lib. III.

nim potius epistolæ superioris esse. quod eo etiam uerisimilius uidetur, quia, cum dixit, Epistolas proximas, epistolam non appellaret sex aut septem uersus. quod si ita est; epistolas proximas uocabit, duas superiores, quia simul utranque miserit. Ac uereor, ne item ea, quæ sequitur, epistola cum hac sit coniungenda: ut eam de se ipso scripserit Marcus, superiora omnia ad Quincti litteras responderit.

E P I S T O L A V.

Iisdem consulibus.

A P P I A, ad Martis] *Appia uia, ad e-*
dem Martis. et Appia uia, ad portam Ca-
penam, extra urbem. ea ducebat usque
Brundisium, omnium uiarum celeberrima, ab Ap-
Claudio censore munita. Martis autem templum,
quod in Appia uia fuit, significat. nam de altero e-
tiam intra urbem legimus. Piscinam publicam]
eam P. Vitor collocat in regione XII. Viget il-
lud Homeri] accidit plane, quod in illis uersibus,
Iliados π, dixit Homerus: Ionem magnos imbres
fundere, cum est hominibus, iustitiam non colenti-
bus, iratus. uidetur enim ideo proluniam hanc immi-
fisse, quia Sabinum contra leges absolutum inique
ferat. Hæc] que sunt in rep. non recte. De di-
ctatura] ad quam res uidetur spectare. discordijs
enim ciuium comitia producuntur: quas dictatoris
potestas sedabit. supra, et infra, et ad Att. ep. 16.

l. 4. Labienum] *T. Atum Labienum*, Cæsaris in Gallia legatum, qui postea civili bello ad Pompeij partes transiit. *tribunus pl. legem tulerat*, auctore Cæsare, ut sacerdotia, collegijs erepta, populus mādaret. *Ligurium*] *A. Ligurium*, Cæsaris familia rem: de quo ad Atticum ep. 9. l. XI. et fam. 263: *Dabo*] videtur hoc *Quinctus a Marco petijisse*; ut eorum, quos maxime Cæsar diligeret, amicitiam litteris tueretur. *Lychnuchum*] quo lucerna sustinetur. *Sami*] cum, *Asiam pro prætore administrans*, *Samum uenisses*. fuit enim *Samus in prouincia Quincti*. epistola I. libri I.

E P I S T O L A V I I I .

Iisdem consulibus .

V P E R I O R I epistolæ] tres *Quinctus ad Marcum epistolas dederat*, primam *Labieno*, qui non dum uenerat; alteram, quam *Marcus ante primam accepit*; tertiam, quæ *ultima Marco est reddita*. *Stomachi, & que relarum*] ex militiae laboribus, ex urbis desiderio. adde, ex periculo illo maximo, in quo his temporibus, *Ambiorigis fraude, uersatus est*. *Cæsar comm. lib. v. Molestiis, & laboribus*] molestiis animi, laboribus corporis. *Desideriis*] urbis, et tuorum. *Discessu nostro*] ut alter ab altero disiungeremur. *Plura ponuntur in spe*] plus in spe constituitur emolumentis, et præsidij, quam in pecunijs:

Commentarius in lib. III.

solutos. id fore diuinavit in epistola ad Atticum 16. l. 4. inquit enim: Candidati consulares omnes rei ambitus. accedit etiam Gabinus: sed omnes absoluentur. cum tamen nocentes iudicaret, ut in eadem ad eundem et hic in epistola huius libri 11. postea tamen Memmius, et Messalla damnati. ad Att. ep. 1. l. 6. Appianus lib. 11. fam. ep. 4. lib. 8. Præstabo] efficiam, si erit consul, ne quid agat in magistratu contra Cæsaris uoluntatem. Auentu] hoc iam exposuimus in epistola 11. huius libri. Puto errare] forte, quia Cæsar consulem nolet eum, quem sibi fuisse inimicum in prætura meminerit. Suetonius. etiam Dio lib. xxxviii. tradidit, hoc ingenio Cæsarem fuisse, ut, quos accepta iniuria odisset, eos tamen illico non ulcisceretur. itaque fieri potest, ut Memmius eum, delata superioris temporis memoria, sibi amicum fore crediderit in consulatu petendo. Abiecit] quem adiuuandum susceperat. ad Att. ep. 15. l. 4. Res prolata] negotia dilata. ita loquebantur, cum illud tempus, quo ferri hominibus licebat, intelligerent. iterare eadem non placet. diximus hac de re satis in commentario nostro in ep. ad Att. ubi rerum prolatio nominatur, ep. 12. l. 7. Adducta] affirmat id Cicero quod et pro certo habere non potest, (nam post id tempus, quo prolata res dicebantur, dies præterea multi supererant comitiales, quibus haberi comitia liceret) omnino tamen ob ciuium discordias futurum uidet. Loquuntur] boni: de nimia Pompeij potentia,

tentia, cui etiam dictatura deferretur. **Hirrus]** Lucceie gentis, plebeia. **Auctor]** opinor, qui designatus tribunus pl. quod eo quoque, infra quod sequitur, videtur confirmari: Hirro, gentis nomine non probabit, ut omittam, quod magistratum ordo consentit, petijt enim adilitatem post: et adilitas cur. post tribunatum pl. petebatur. ep. 2. 3. 4. 6. lib. 8. fam. **Fore]** cum inierit magistratura: cuius erat primus dies 1 v. id. Dec. ut iam diximus.


Se ipse amans] qui etiam cum Cicerone, homine consulari, non dum ipse adilicus auguratum biennio post, Pöpeio III. cos. petere sit ausus. **Crafsū Iunianum]** quæ sit hic mea coniectura, dicam: ea probari debeat, nec ne, iudicium aliorum esto. libenter legerem, **Crafsū Licinianum**: ut, cum esset Licinius Crafsus, in aliam postea familiam, adoptionis iure, transferit. at quam familiam? opinor, Cæliam. placet enim, hunc esse Cælium illum, qui in M. Cælij epistola ad Ciceronem, fam. 114. Cælius Vicinianus male nominatur: cum, Licinianus, videatur esse reponendum. et congruit hic de dictatura locus cum illo. nam hic verbum, deterruit, significat, eum, quod instituerat de dictatura, omisisse: in epistola uero M. Cælij, promulgatam ab eo de dictatore legem, scriptum est. Eundemq. crediderim esse Cælium illum, qui lib. 1 v. de bello civili Vincianus uocatur, mendose, pro Licinianus. Præterea, tribunum pl. hunc eodem anno cum C. Hirro fuisse, ideo credibile est, quia eodem etiam anno adilitatem si-



Commentarius in lib. III.

mul biennio post petierunt. quod ex ea, quam nomi-
 navi, M. Cælij epistola constat. Ut omittam, quòd
 hunc ipsum, qui de dictatore Pompeio egit, Luciliu
 uideo apud Plutarchum nominari. ut Liciniani no-
 men in Vicinianum, Vincianum, Lucilium, ob si-
 militudinè facile uideatur abiisse. Neque uero quid
 quam obstat, cur, etsi Cælius ex Licinio sit factus,
 prioris tamè familie nominibus Crassus Licinianus
 appellari non possit. nam Scipionis cognomen reti-
 nuit is, qui Magni Pompeij socer fuit; qui tamen
 Cæcilius, adoptante Metello Pio, factus erat: &
 Lucullus, frater L. Luculli, cum Terentius Varro
 per adoptionem factus esset, quod supra probaui-
 mus, Lucullus tamen nouo cognomine omisso, uete-
 re conseruato, nominatur. Per me deterruit]
 mea opera Pompeius effecit, ut captum de dictatu-
 ra consilium Crassus abiecerit. Hoc enim, & quæ
 sequuntur, ad Pompeium, non ad Hirrum, conue-
 nit referri: si tamen is est, de quo Plutarchus, qui
 inuito tribunatu egit de dictatore Pompeio. Deter-
 ruit] opinor tamen, ab eo mox, post inuito tribu-
 natum, promulgatam legem de dictatore Pompeio.
 aut, Deterruit, cum iam legem promulgasset, an-
 te quàm tribunatum pl. iniret. Velit nolit,] quia
 Pompeius aliud sentire, et loqui solebat. ad Att.
 ep. 10. et 15. l. 4. et ep. 1. l. 8. fam. Agente] ad
 populum, ubi magistratum inierit. in epistola, quæ
 sequitur, Hirrus, inquit, parat. Non probabit]
 non persuadebit hominibus, cum per eius amicum
 agatur.

agatur. secutus est autem Hirrus Pompeium civili bello contra Cæsarem. comm. lib. 1. quo in loco, Vlcillem Hirrum, mendose legitur: cum potius, Lucceium Hirrum, legendum uideatur. Lucceiæ enim gentis cognomen Hirrus fuit. fam. l. 8. Serrani.] gentis Atiliæ. Domestici] cognomen aut Serrani ipsius, aut filij. Scripto meo] cum orationem, ei a me scriptam de laudibus filij, legeret. Nihil tribuit,] minime illi, anno sequenti consulatum petituro, studet, maxime uero Gutta. petijt anno sequenti consulatum Milo. etsi non habita, propter dissensiones candidatorum, comitia, uel ex Peditano cognoscitur. uideo autem eum, inter uersa pratura, consulatum petijisse: qui Lentulo et Metello cos. tribunatum pl. Pompeio et Crasso ædilitatem gesserit; Caluino autè et Messalla consulatum petierit. Gutta] non habeo certum, quis hic sit Gutta, competitor Milonis in consulatu anno proximo futurus. Peditanus candidatos consulares tres dumtaxat nominat, omnes plebeios, T. Annum Milonem, P. Plantium Hypsæum, Q. Cæcilium Metellum Scipionem, Pompeij Magni socerum. Illo] Gutta ad consulatum efferendo. Diffidit] se posse consulatum adipisci. Intercessorem] tribunum pl. tribuno, rogationem de dictatore dicendo ferenti, intercedentem. multi autem intercessuri uidebantur. epistola, quæ sequitur. Per uim] sprete intercessio ne: quod ante, quo anno C. Cæsar, quo Pompeius consul fuit, euenerat. quòd si uim ui repelleret Milo,



Commentarius in lib. III.

ualebit intercessio. Ludos] ut eum honoraret mortuum, cuius legatam sibi testamento hereditatem creuerat, cui et minus dederat. Sumptuosiores] scribit Peditanus, Milonem in scenicorum ludorum, et gladiatorij muneris impensas, effusas q̄. largitiones tria patrimonia effudisse. idq̄. Cicero tum in oratione pro ipso, tum in epistola ad Curionem significat his uerbis: Studium habemus uulgi, ac multitudinis, propter magnificentiam munerum, liberalitatemq̄. naturæ. Terque] ut fortasse trinos in ludos tria illa patrimonia, in singulos singula, profuderit. Non postulatus] a populo. solebat enim ludos interdum populus postulare. fam. l. 9. ep. 8. Munus] gladiatorium. Facultates non erant] hinc iam ludis, et in gladiatoribus consumptæ. Magister] hereditatis curandæ inter coheredes. Dicit, opinor, hoc magistratum non gerit Milo: ut eum ad impensas huiusmodi uideatur dignitas impulisse. tantum est magister, uile scilicet ministerium. Non ædilem] uidetur hoc significare. ludos dare, magistrorum non est, sed ædilium. debuit igitur Milo, cum magister, non ædilis, esset, ludis abstinere. Hæc mihi non omnino probatur interpretatio. nam si hoc Cicero significaret, idem diceret, quod proximis uerbis: Vel quia magister. dicit autem diuersum quiddam, et hoc forte, cum is, cui mortuo ludos dat, ædilis fuerit hoc ipso anno: putat Milo, sc. qui magnam bonorum eius partem testamento acceperit, quodam modo in eius locum

successisse, ludosq. dare pro adili debere. uerum potuerat se magistrum putare, sicut est, non adilem, qui re uera non sit.


EPISTOLA IX.

Iisdem consulibus, in extremo anno.

Nihil istorum] sine dubio scripserat
 Quintus, debuisse Marcum & Pompeij
 et Caesaris causa reo Gabinio de maiesta
 te adesse. atque hoc facile mihi persuadent illa, quæ
 proxime sequuntur, græca uerba: τότε μοι χάνοι: hoc
 est, tunc mihi dehiscat lata terra: cum hoc scilicet fla
 gitij commiserō. integrum enim est hemislichium a
 pud Homerum, duobus in litteris Iliadis Δ Θ, τότε
 μοι χάνοι ἄπειρα χθών. Neque urfi, neque leua
 ui.] neque accusam, neque defendi. Nunc deni
 que redundat] hoc bonum, quo antea nimium in
 digebam, (bonum appellat, animi siue patientiam
 siue fortitudinem quandam in malis reip. leuiter se
 rendis) mihi nunc denique satis superq. est. Cur
 stomacher,] si quid accidit iniquius: cum repu
 blica iam plane desperata tota sit. Angit] consula
 tus causa: quem petet aduersante, ut uidetur, Πο
 पेιο: cum ego utrique summe debeam. Finem] so
 licitudinis meæ. uelut, inquit, post consulatum, qui
 est honorum summus, nihil accidat præterea, quod
 illius causa me angat. Enitar] quam enisus sit,
 intelliget, qui epistolam ad Curionem libro II. fam.
 legg-

legerit. Istinc,] ut *Cæsaris amicis in petitione Milonis utamur. De quo] de consulatu, nisi ui res agatur, spero fore quod uolumus. Timeo] ne sustinere tantos sumptus non possit, ne ad inopiam redigatur. μαίεται etc.] recte, et proprie, quod modum superat, insania uocatur. unde illud, de emptione, ad Atticum 216: Nec tamen insaniturum puto. et, de sumptu, in oratione pro Milone: Insanas illas P. Clodij subtractiones. recte igitur et hic, de Milone nimiam pecuniam in ludos erogante, ὁ δὲ μαίεται ἔν ἔτ' ἀνεκτῶς: quod est: Hic autem insanit sic, ut ferri amplius non possit. finis exametri uersus apud Homerū, Iliadis 1. 78. quod enim ille de Cyclope Polyphemo, τὸ δὲ μαίεται ἔν ἔτ' ἀνεκτῶς; Cicero de Milone, paululum quiddā sententiæ causa, ut solet, immutās, ὁ δὲ μαίεται ἔν ἔτ' ἀνεκτῶς. HS CCC] scutatis aureis decem millibus, et centum septuaginta sex, marculis, ut appellant, qui olim asbes erant, sexaginta quattuor. Considerantiam] immo contra: cum in sumptibus insaniat. malim igitur, Inconsiderantiam, uocabulo inusitato, sed tamen ab, Inconsiderate, usitato. et referetur ad μαίεται. Sustinebo] et ego feram hoc in homine amicissimo uitium: et animi tui uires ea sunt, ut ipse quoque ferre possis. Venientis anni] de quo ad te scripseram. Si per interregem, sine iudicio] quem hic locum habet iudicij mentio; cum in proxima epistola iam dixerit, illum esse absolutum? intellige de altero, quod impendebat, de ambitu iudicio.*

nam et post consulatum de ambitu accusatus. id ego locis obseruatis cognoui, ad Atticum ep. 12. l. 5. et fam. epist. 2. et 4. si consul, inquit, habitis ab interrege comitijs creabitur; iudicium uitabit: statim enim consulatum inibit: et accusari magistratus non licet. sin a dictatore: fieri omnino potest, ut dictator pro ea, quam habet summam, potestate nolit eum inire antea consulatum, quam iudicium fiat: sed tamen, quin absoluator, mihi dubium non est. uideo enim, qui illum oderit, esse neminem. Et, quod ait, Si per interregem, sine iudicio; uere dicit. nam, Messalla per interregem consule creato, iudicium de eo factum non est: peracto autem consulatu, bis accusatus de ambitu est, primo absolutus, deinde condemnatus. Hortensii] fratris eius uterini: quod ex Plutarcho in Sylla conijcitur. Calor] pro absolute contentio. defensum ab eo Messallam, et absolutum, significat M. Cælius in duabus epistolis II et III. lib. VIII. fam. Lex impunitatis] quasi lata lex uidetur, ut, qui peccauerint, ijs impune sit. his uerbis nocentem Messallam significat. fore tamen, ut absoluator, tribus causis, dixit: quod odij nihil habet: quod pro eo contendet Hortensius: quod, absoluto Gabinio, nemo iam uidetur ita nefarius, qui absolui non possit. innocentiam Messallæ ad has causas non admiscet. satis enim cõstabat, et ipsum, et reliquos candidatos pecuniam contra leges populo dedisse. quo nomine post consulatum damnatus est, ut proxime dixi. ἐν παρέργῳ] narrationem



Commentarius in lib. III.

rationem de rep. duas in partes tribuit; quarum ad
 Messillam una pertinet, ad dictaturam altera. atque
 hanc posteriorem ἐν παρέρῳ, hoc est, breuiter, et ue-
 lut in cursu, exequi se uelle significat. Tamen]
 quamuis iam ante rumor fuerit. epistola, quæ an-
 tecedat. Abest] erat omnino Pompeius extra ur-
 bem, quia cum imperio, iturus, ad uidebatur,
 in Hispanias: sed non diceret Cicero, Abest, de
 eo, qui ad urbem esset. longius, opinor, discesse-
 rat, nimirum rei frumentaria causa: quod legi-
 mus apud Dionem lib. xxxix. in extremo. Ap-
 pius miscet:] notat hominis ingenium, miscen-
 tis potius, quam agentis. Miscet autem, non quia
 dictatorem, sed quia comitia uellet. nam in episto-
 la huius libri III. Consules, inquit, comitia ha-
 bere cupiunt, quam uideo scriptam post rumorem
 de dictatura natum. nam in ea consulares ait candi-
 datos de ambitu postulatos: et ad Atticum 65: ubi
 eosdem reos memorat, odere rem esse non nullum di-
 ctaturæ dicit. Atque hoc ideo dictum uolui, ne quis
 Appium dictaturæ, quam Pompeio delatum iri cre-
 debatur, existimet sanere, quia filiam suam Pom-
 peii filio collocasset, ut est in fam 42. Parat] ut legé-
 ferat de dictatura, cum scilicet tribunus pl. erit. nunc
 enim designatus erat. quod in epistola proxima signi-
 ficatum est in eo: Auditor fore uidetur. Quod si quis
 obijciat, designatum esse non potuisse, cum Cicero co-
 mitia non dum habita significet: is, consularia quidē
 comitia hoc anno habita non esse, tribunicia uero esse
 ha-

habita, ab historia discat. nam Plutarchus, Catone
 praetore, idest hoc anno, habitus, perspicue demonstrat.
 et hic noster ad Att. ep. 15. l. 4. cum dixisset de consue-
 laribus comitijs: Comitium puto fore ut ducantur: de
 tribunicijs intulit: Hac ego pridie scribebam, quã
 comitia fore putabuntur. Numerantur] quod cer-
 to iam sciretur, qui ferenti legem Hirco de dictatura
 intercessuri uiderentur. Non curat] siue lex fera-
 tur, siue non feratur. Principes] uidetur eos signifi-
 care, quos in epistola proxima bonos nominauit.

Quiesco.] te monente; ut calamitate iã doctus ini-
 micitias uitem. supra: In omni summa, ut mones, ual-
 de me ad otium pacemq. conuerto. Mancipijs] ad
 me mittendis, Gallico, aut Britannico bello captis.

Infrequens] cum paucis admodum mancipijs. quo
 magis te amo; quia, quod mihi opus est, id polliceris.

Facultate] nihil ut mea causa cures, nisi quod facil-
 lime possis. Ita odia] de quibus ad me scribis, quia

Vatinius, litteris Roma ad Cæsarem missis, quacun-
 que diceret ageret ue Cicero, tanquam explorator

significabat. ex quo Quinctus, litteris ijs inspectis, de
 odio illius in Marcum cõiecit. Concoquam] pror-

sus minimi faciam, facile feram. sic, deuorare mole-

stiam, oratione VI. in Antonium: deuorare homi-
 num ineptias, in Bruto. ἔπος] poema: de quo in epi-

stola proxima. Locupletem] cui meum ἔπος bene
 credatur. iocus: quia missa a Quincto Erigona tragæ-

dia perierat in itinere, tabellarij culpa. ideo dixit in
 epistola, Quattuor, Erigonam mihi uelim mittas:

*eum tamen, eam aliquanto ante missam esse, iam significauerit in epistola huius libri prima. Cæsare] qui omnia multis uictorijs tutā reddidit. Quid, si cæmentum] minime placet hæc ab ἕτος ad ædificium subita transitio, nec dubito, quin huius partis, in qua de Quincti agitur uilla, fortasse in Laterio, initium desideretur. itaque uisum est, ut hac nota *, quasi lacunam loci significaret, a superioribus inferiora disiungentem. Arcano] Quincti fundo: de quo in epistola huius libri prima. Cæsaris opus] maximum uidelicet. magnifica enim Cæsaris monumenta: qui forum usque ad atrium libertatis explicare, deinde in campo Martio septa et tecta marmorea facere cogitauerit: ut est ad Atticum ep. 17. l. 4. legimus etiam apud Tranquillum, Italiae, Galliarum, Hispaniarum, Asiae quoque, et Græciæ potentissimas urbes, eius munificentia, precipuis operibus exornatas. Imaginis] quas in Arcani uilla constitui Quinctus mandauerat. Nilus] ut opinor, plures riuulos, e salientibus aquis in piscinam diuersis partibus confluentes, appellat Nilum: quòd, ut hoc flumen ostijs septem profluit in mare, sic salientes illæ in piscinam riuulis multis, quasi paruus Nilus, perueniant. hanc ego coniecturam duco ex huius libri epist. 1. in qua, cum de uilla, quæ erat in agro Fusidiano, hoc est in Arcano, meminit; (iam enim, fundum Fusidianum in Arcano fuisse, ostendimus) piscinas, et salientes, et palæstram simul nominat. Nili etiam mentionē facit lib. 11. de legib. in proæ*

mio. Philotimorum est, non Diphilorum] diligentiam Philotimi, negligentiam Diphili significat. hoc, inquit, Diphili negotium non est, sed Philotimi; neque uero unius Philotimi, sed multorum. Diphili tarditatem notauit iam illis uerbis: In Manliano offendi Diphilum Diphilo tardiolem. is in Arcano Quinti uillas curabat: Philotimus autem urbanam expolationem urgebat. quod utrunque in eadem.

I. epistola. In unciis] assis nomine tota significatur hereditas. as, qui et libra, duodecim in partes, quæ dicuntur uncie, diuiditur. duodecim igitur partes honorum suorum, postea quàm esset mortuus, fieri Felix uolebat. sed, ut in propinqua morte, mente perturbatus, Sicuræ etiam serui imprudentia, tabulas de uncijs non obsignauit: alteras, aliam in sententiam, a se antea scriptas, obsignauit. ratæ autem erant tabulæ testamenti, quæ non essent eius, qui testamentum fecerat, annulo obsignatæ. Firmissimum tenuerat] consiliû illud de bonis suis in XII partes inter coheredes diuidendis mutare noluerat. Lapsus est per errorem] errauit imprudentia. sic in Tuscul. v. Labi errores sermonis. ex l. 3. de Rep. apud Laet. l. 5. c. 15. et in epitome cap. 50. Qui aut aurû pro aurichalcho, aut argentû pro plumbo uendat per errorem. ἀλλ' οἰμολέτω] iubent Græci οἰμολέειν eos, quibus male precantur. Aristoph. ἐγὼ μὲν οἰμολέειν λέγω σοι. uidetur autem esse finis senarij ex aliqua uetere comædia. nec uero dubium est, quin de mortuo loquatur. nam uiuens testamentû mutasset,

erroremq.

Commentarius in lib. III.

erroremq. suum correxisset. Valeamus] et hoc ad mortuum pertinere, ἀλλ' οἰμοζέτω, significat. illi mor tuo male sit, qui tam male suis consuluerit: nos valeamus. Dimitto] p. tior eum ire cum matre; cum antea mecum habitaret. supra dixit, Tyrannio docet apud me. Magistris] duobus, Tyrannione grammatico, Pæonio rhetore. quo de utroque iam facta mentio est. Pomponia] glossema puto, ab imperito librario positum. Pueri] annum XIIII. Quinctus filius, cum hæc scripta est epistola, hoc est Appio et Athenobarbo cos. non dum impleuerat. id ex eo conijcio, quia togam puram sumpsit Paullo & Marcello: quam non nisi anno ætatis XVI. finito sumi solitam, satis constat. ad Att. 80: 86: Sumus una tamen] ergo non exierat urbe Pomponia, sed ex illa domo, quam Ciceronis cum domo iunctam fuisse iam diximus, in aliam Quincti domum transferat.

Epistolam ad Octavianum, ultimo loco impressam, & quia satis aperta, & multo etiam magis, quia, Ciceronis non esse, ἐκ τῆς χαρακτῆρος intelligo, non placuit interpretari.

F I N I S.

